GENEALOGIÆ BIBLICÆ

CUM

MONUMENTIS ÆGYPTIORUM ET CHALDÆORUM COLLATÆ

IMPRIMATUR

Cameraci, die XXVI Novembris, anno MDCCCLXXXVI°

† **FRANCISCUS EDUARDUS,**
Archiepiscopus Cameracensis.

GENEALOGIÆ BIBLICÆ

CUM

MONUMENTIS ÆGYPTIORUM ET CHALDÆORUM COLLATÆ

AUCTORE

E. A. PANNIER

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

ET ARCHÆOLOGIÆ ORIENTALIS IN COLLEGIO THEOLOGICO INSULENSI

MAGISTRO SUBSIDIARIO

Opus duabus heliographicis tabellis illustratum.

INSULIS

EX TYPIS J. LEFORT

MDCCCLXXXVI

PROŒMIUM

Paucis abhinc annis, sapientissimus Pontifex noster Leo XIII, hodiernarum necessitatum conscius et malis ingruentibus remedia proponens, philosophiam vere christianam commendabat, super quam uti fundamentum immobile superstruerentur tum scientiæ historicæ, tum disciplinæ orientales. Clericis enim rationem studiorum præscribens accuratam : « Quoniam in tanto ingeniorum » cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa, » aiebat, quæ minus decet non habere perspecta, » præsertim cum homines impii quidquid incre- » menti affert dies in hoc genere, tanquam nova » tela in veritates divinitus traditas intorquere » consueverint, date operam... ut alumna sacro- » rum juventus non modo sit ab investigatione » naturæ instructior, sed etiam iis artibus apprime » erudita quæ cum sacrarum Litterarum vel in- » terpretatione vel auctoritate cognationem ha- » beant (1). »

Ad historiam quod attinet, non minori jure quam ipsa Ecclesia illud Summi Pontificis elogium sibi vindicare queunt sacræ Litteræ : « Incorrupta

(1) Ep. encycl. Leonis XIII, *ad episcop. Ital.*, die 15ª Febr. 1882.

» rerum gestarum monumenta, si quis tranquillum
» et præjudicatæ opinionis expertem intendat
» animum, per seipsa Ecclesiam et Pontificatum
» sponte magnificeque defendunt, » dummodo
« illud imprimis scribentium observetur animo,
» primam esse historiæ legem ne quid falsi dicere
» audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua
» suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simul-
» tatis.... Cum hostilia tela potissimum ab historia
» peti soleant, oportet ut æquis armis congredia-
» tur Ecclesia, et qua parte oppugnatur acrius,
» in ea sese ad refutandos impetus majore opere
» muniat (1). »

Quæstio ad quam solvendam nosmetipsos accingimus, tum ad biblicas et orientales scientias, tum ad consonam veritatibus divinitus traditis humani generis historiam pertinet. Hinc quæ superius allata sunt Summi Pontificis eloquia, nobis præ oculis habere licet, ut sint incitamentum ad suscipiendum laborem, imo stella rectrix qua ducamur ad incunabula generis nostri, simul ac pernecessarium in terra deserta, invia et inaquosa, animi solatium.

In hoc opere nostro de genealogiis biblicis, viam a SS. Patribus jamdudum paratam tuto sequemur: hi enim sancta Revelationis oracula præcipue attendentes, verbo Dei non scripto verbum scriptum interpretari satagebant; at ubi silebat Traditio, in quæstionibus scientificis imprimis, hi tanti viri Sancto ducti Spiritu neque profanas scientias

(1) *Ep. ad S. R. E. Cardinales, A. de Luca, J. B. Pitra et J. Hergenroether,* die 18ª Augusti 1883.

contemnebant, imo ad philosophorum eruditorumque placita declinabant, rati nullam omnino inter fidem et rationem veram dissensionem existere : « cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem » infundit, animo humano rationis lumen indide» rit ; Deus autem negare seipsum non possit, nec » verum vero unquam contradicere (1). » Hoc enim modo quæstiones plurimas circa mundi genesim enodare non dedignati sunt ; qua laude et quo scientiarum sanctarum profectu, hi norunt omnes qui, cæteros ut silentio premam, Basilium, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum, et Augustinum perlegerunt.

Tantorum vestigiis humiliter insistentes, æstimamus ad solvendam intricatissimam de chronologia biblica quæstionem, multum conferre posse quæ ex hodiernæ scientiæ promptuariis queunt colligi, præsertim e studiis ægyptiacis et assyriis, hac nostra ætate magno decore florentibus.

Orientales chronographos antiqui penitus non ignoraverunt, imo quid de istis censendum, justa lance decernere conati sunt. Jamdudum princeps christianorum historicorum Julius Africanus, post eum Eusebius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, Ægyptii dehinc Panodorus et Annianus, denique Georgius Syncellus Constantinopolitanus inter documenta biblica et veterum scriptorum Manethunis ac Berosi schemata litem instituere atque dirimere tentaverunt. At instrumentorum defectu causa injudicata derelicta est, resque in integro permansit.

(1) Conc. Vatic., *constit. dogm. de Fide catholica,* c. IV.

Etenim profanæ antiquitatis annales duobus ex elementis conflati erant, ex authenticis scilicet veræ historiæ reliquiis, et frivolis poeticarum fabularum commentis. Cum autem inter hæc quid admittendum, quidve rejiciendum foret, decernere non valerent, prudentiores quidem omnia uti dubiæ fidei et historici veri nominis cura indigna æstimavere, ne in periculum venirent falsa cum veris admiscendi.

Neque aliter nos ipsi oculos quasi vertigine capti avertimus ab immenso annorum gurgite in quem primos Chaldæorum reges dimittere nititur Berosus; phantasmata ac monstra quæ iste e primævo chao evocat, ad fabulas nugasve aniles ablegamus. Quis serio audiet exstitisse tunc temporis « homines partim quidem duabus, partim qua- » ternis alis instructos duabusque faciebus? Fuisse » et alios homines caprinis femoribus, capite cor- » nigero; alios rursus equinis pedibus : alios de- » nique posteriore parte equina, anteriore autem » humana; tauros quoque humanis cum capitibus » procreatos esse : et canes cum quadruplici cor- » pore quibus caudæ ad instar piscium e clunibus » prominerent; equos præterea cynocephalos et » homines; alia insuper multiplicia animalia dra- » conum formam referentia; denique pisces sire- » num similes et reptilia et serpentes aliasque » feras mira varietate inter se differentes, quarum » imagines accurate depictæ in Beli fano adserva- » bantur (1). » Revera gaudemus cum talia, prouti Berosus monuerat, assyriis babyloniisque parie-

(1) Eusebius armen., *Veter. Script. Vatic. Coll.*, t. VIII, p. 10.

tibus deprehendimus insculpta, minime vero uti historiæ argumentum accipienda ducimus.

Simili modo respuimus ægyptiaca deliramenta qualia a Manethune relata fuerunt : imperitasse deos Ægyptiis annos tredecim millia ac nongentos, semideos quinque millia ac ducentos, Manes denique quinque millia et octingentos ; sub Nepherchere flumen Nilum melle simul et aqua fluxisse dies undecim, Sesochrin regem fuisse V cubitos altum (1), et commenta istiusmodi sexcenta.

Verum hodie Thebarum ac Mempheos hieroglyphicos textus ad verbum interpretari possumus ; cuneiformes, uti aiunt, characteres Ninives aut Babylonis ædibus insculptos legere valemus haud secus atque arabicas, syriacas, hebraicasve litteras.

Si veteres contemneremus, qui his opibus destituti egregia tamen nobis reliquere volumina, merito injustitiæ crimen incurreremus : sed vix minus foret parcendum si, his auxiliis ex insperato provenientibus, veterum errores corrigere non conaremur. Nam cuique rem sedulo intuenti, inter ea quæ illi respuenda duxerunt, plura apparent non ita falsa ut contemni debeant, imo prorsus digna de quibus ratio habeatur.

Exhinc fortasse accidere poterit ut paulo aliter procedamus in componendis biblicis documentis cum profanæ historiæ testimonio ; antiquis enim monumentis fidem denegantes, certe non erat cur veteres apologeticis tractatibus ea cum Scripturis sacris conciliarent. Dum ergo biblicas quæstiones

(1) Eus. arm., *Veter. Script. Vatic. Coll.*, t. VIII, p. 95-99.

secundum recepta philosophiæ sui temporis placita solvere plures niterentur, historica problemata expedire parum curabant eo quod nulla probatæ veritatis præsto erat antiquitatis historia.

Ea ætate præcipuæ controversiæ circa quæstiones particulares minorisque momenti versabantur: num et quomodo Mathusalem patriarcha diluvium effugere potuerit, uti textu LXX innuitur (1); cur Thare filios suos genuerit septuagenarius (2), Noe vero quingentesimo vitæ suæ anno (3); qua ratione Deuteronomium post septennium legi præceperit Moyses (4); quo mysterio numerentur ab Adam primoparente usque ad Christum generationes septuaginta duæ (5); ab Abraham vero patriarcha quadraginta tantummodo (6); et hujuscemodi multa. Qui tamen de rebus Ægyptiorum et Chaldæorum audierunt, hi libenter hanc Eusebii sententiam amplexi sunt : « Quum Ægyptii prærogativa antiquitatis quadam seriem ante diluvium tenere se jactent deorum, heroum et manium annis plus viginti mille regnantium, plane æquum est ut hi anni in menses tot convertantur quot ab Hebræis memorantur anni.... Quodsi temporum copia adhuc exuberet, reputandum est plures fortasse Ægyptiorum reges una eademque ætate exstitisse; namque et Thinitas

(1) S. Hieron., *Hebraicæ Quæst. in Genes.*, ad locum.

(2) Orig., *in Genes.*, ad locum.

(3) S. Johan. Chrys., *hom. in Genes.* XXII, 1.

(4) Theod. Cyr., *quæst. in Deuter.* XXXIX.

(5) S. Iren. Lugd., *Contra hæres.*, l. III, c. XXII, 3.

(6) S. Aug., *de Consensu Evang.*, l. II, c. IV, 8.

» regnavisse aiunt et Memphitas et Saitas et
» Æthiopes eodemque tempore alios. Videntur
» præterea alii quoque alibi imperium tenuisse;
» atque hæ dynastiæ suo quæque in nomo semet
» continuisse : ita ut haud singuli reges successivam potestatem acceperint, sed alius alio loco
» eadem ætate regnaverit. Atque hinc contigit, ut
» tantus numerus annorum confieret (1). »

Neque aliter quæstio solvi consuevit, uti e sequentibus amplius declarabitur, ad nostram usque ætatem. Nunc vero orientalibus scientiis in immensum proficientibus, excogitare opportuit tum novam methodum quæstionem proponendi, tum novam rationem diluendi ea quæ contra Fidem exinde afferri poterant.

Silentio transivimus rationalismi sectatores qui, omni tempore sed præ cæteris sæculo XVIII°, biblicas genealogias uti fictitias habuerunt : non quia melius callebant antiquitatem chaldaicam vel ægyptiacam, sed quia præjudiciis abrepti aut fidem omnem sacris Scripturis denegabant, aut saltem facta præternaturalia in eis relata mythorum loco habebant et naturalium virium ope explanare conabantur.

Ætate denique nostra, antiqua monumenta magni fieri cœperunt; etenim perlectis, clarissimorum virorum solertia, veterum annalibus, apparuit cuique ex fide judicanti, plus esse priscis scriptoribus uti Manethuni ac Beroso concedendum quam hucusque consuetum erat. Inde

(1) Euseb. arm., *Veter. Script. Vatic. Coll.*, t. VIII, p. 95.

autem Fidei hostes nova tela exceperunt quæ contra sacras Litteras contorquerent : imo quo ipsis victoria facilius cederet, nobis fictas et commentitias opiniones adscripserunt, profitentes hæretici hominis esse creationem ultra quartum millenarium ante Christum protrahere (1).

His de causis nobis placuit ostendere dissidia hæc inter divinas Litteras et eam quæ est veri nominis historiam esse fictitia, meraque calumniatorum potiusquam eruditorum commenta. Sane nostri non est consilii ut ostendamus utramque chronologiam sacrorum ac profanorum documentorum etiam in minutis consonare. Hoc munus pro diversis sæculorum tractibus jam plures præstiterunt quos sequi neque propositum, neque facultas : sic enim opus istud in immensam molem ac præter modum succresceret, aut potius in variegatas plurium quæstiuncularum quasi tesselas indigestamve farraginem ; sed satis erit ostendisse chronologiam biblicam quæ pro Semitarum ingenio generationum catena perstringitur, non ita esse strictam ut angustare ac præfocare videatur veram historiam, sive ægyptiacam, sive chaldaicam, sive quæcumque detur certitudinis charactere insignita.

Proinde primo scrutabimur quamnam fidem hæc antiqua mereantur monumenta quæ in testimonium a recentioribus eruditis invocantur, sive ad ægyptiacam, sive ad chaldaicam antiquitatem pertinentia ; denique, instituta prævia quæstione

(1) Courdaveaux, *Les prétentions politiques de l'Eglise ;* Huxley, *Mr. Darwin's Critics*, Contemporary Review, nov. 1871, parum absimilia asserere non dubitavit.

num textus græcus, hebraico exemplari certe latior, veros annorum et generationum numeros servaverit, ut effugium præcludamus quo sæpe quæstio eluditur, nec solvitur, continuo ostendemus documenta biblica, rite intellecta, his monumentis minime adversari.

Aridum certe laborem subeundum duximus, ac subobscuras temporum antiquitate vias persequendas, imo interdum arenis instabilibus vagisque parum tutas. Ne tamen candidus atque eruditus lector nos uti temerarios nugacesve insimulet, et his B. Pauli dictis increpet : « Rogavi te... ut » denuntiares quibusdam ne intenderent fabulis » et genealogiis interminatis : quæ quæstiones » præstant magis quam ædificationem Dei quæ » est in fide (1). » Huic enim, sensum Scripturæ detorquenti, respondere possemus provocando ad sapientissimos magistros quorum prudentibus consiliis hoc in opere nostro usi sumus fidentes ; sed ad juris abundantiam referemus præclara certe Nazianzeni et Hipponensis oracula : Οἶμαι δὲ πᾶσιν ἀνωμολογῆσθαι τῶν νοῦν ἐχόντων, παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν εἶναι τὸ πρῶτον... καὶ τὴν ἔξωθεν, ἣν οἱ πολλοὶ Χριστιανῶν διαπτύουσιν, ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ Θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν, κακῶς εἰδότες... Οὔκουν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισιν· ἀλλὰ σκαιοὺς καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς οὕτως ἔχοντας, οἳ βούλοιντ' ἂν ἅπαντας εἶναι καθ' ἑαυτοὺς, ἵν' ἐν τῷ κοινῷ τὸ κατ' αὐτοὺς κρύπτηται, καὶ τοὺς τῆς ἀπαιδευσίας ἐλέγχους διαδιδράσκωσιν (2). — « Scripsit hoc Moyses, » scripsit et abiit, transivit hinc a te ad te, neque

(1) I Tim. I, 3, 4.

(2) S. Greg. Naz., *Orat.* XLIII, 10-12.

» nunc ante me est. Nam si esset, tenerem eum,
» et rogarem eum, et per te obsecrarem ut mihi
» ista panderet; et præberem aures corporis mei
» sonis erumpentibus ex ore ejus (1). »

Jam breves nobis videbuntur levesque labores nostri si eorum ope pluribus orientalium scientiarum peritis faciliorem ad audiendam Fidem ejusque præconem, romanam Ecclesiam matrem nostram, aditum præbuerimus. Ex his enim qui non credunt, aliorum quidem animas diligimus, sed opiniones contemnimus; aliorum vero tum animas tum scientiam magni facimus, et ad Fidei lumen eos attrahere cupimus his artibus quas ab Angelico doctore sumus edocti : « Sicut Augustinus docet, in hujus-
» modi quæstionibus duo sunt observanda. Primo
» quidem ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur.
» Secundo, cum Scriptura divina multipliciter ex-
» poni possit, quod nulli expositioni aliquis ita præ-
» cise inhæreat, ut si certa ratione constiterit hoc
» esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse
» credebat, id nihilominus asserere præsumat; ne
» Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur et ne
» eis via credendi præcludatur (2). »

Fuerunt hi sensus Aquinatis nobis in incipiendo stimuli, sit doctrina ejus in procedendo lux nostra, sit nobis ejus intercessio continuum in laborando auxilium.

(1) S. Aug., *Confess.*, l. XI. c. III, n. 5.

(2) S. Thomæ *Summa theol.*, I, q. LXVIII, a. 1.

GENEALOGIÆ BIBLICÆ

CUM MONUMENTIS ÆGYPTIORUM ET CHALDÆORUM COLLATÆ

PRIMA PARS

Ægyptiorum monumenta.

CAPUT I

Quæstionis objectum et historia.

Sancta Scripturarum eloquia, quamvis in divina mente omnimoda perfectione gaudeant sintque omnibus numeris absoluta, statim atque humanis verbis aut signis prolata fuerunt, humanarum rerum defectibus et casibus fortuitis obnoxia evaserunt, uti nullo negotio intelligitur.

Etenim oscitante incuria vel etiam imperitia librariorum qui toties textum sacrum edidere, errores plurimi irrepserunt non quidem dogmatis sinceri–

tati, at certe integritati criticæ plus minusve officientes. Hinc legitur, verbi gratia, Asa qui annos כו hoc est viginti sex tantum in Jerusalem regnavit (1), cum Baasa, rege Israel, dimicasse, anno regni sui לו id est trigesimo sexto, imo anno trigesimo octavo si græcis codicibus fidem adhibeas. Talium errorum adeo in dies crevit numerus, ut S. Hieronymus hæc scribere minime dubitaverit : « Sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint (homines linguæ meæ), hæc illis (ἑξαπλοῖς) conferentes, inveniant quod requirunt : maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria quot codices : et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est : et utique non possit verum esse quod dissonat (2)... Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt : totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat (3)..... Nec hoc Septuaginta interpretibus.... sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant ; et sæpe tria nomina subtractis e medio syllabis, in unum vocabulum cogunt, vel e regione unum nomen, propter latitudinem suam in duo vel tria vocabula dividunt (4)....

(1) Cf. II Paral. XVI, 1, et III Reg. XVI, 8.

(2) S. Hieron., *Præf. in Josue.*

(3) Ejusd. *Præf. in Paral.*

(4) Ejusd. *Præf. in Paral. ad Domn. et Rogat.*

» Audiant quapropter canes mei, idcirco me in » hoc volumine adlaborasse non ut interpreta- » tionem antiquam reprehenderem, sed ut ea quæ » in illa obscura sunt, aut omissa, aut certe scrip- » torum vitio depravata, manifestiora nostra inter- » pretatione fierent (1). » Sincerior quidem perseveravit Hebræorum textus, minime tamen omnino integer : ideo dolent judaici critici, ac præcipue eorum princeps Norzius, « sacros libros, repletos » esse erroribus, ... multitudinem variarum lectio- » num illos occupasse, se suosque omnes sicut » oves errare, nec esse qui doceat et judicet secun- » dum normam : sacri textus discrepantias singulis » diebus continuari et augeri, ejus editores ambu- » lare in tenebris, non esse qui indaget aut quæ- » rat eas auferre, neminem posse emendare quod » a diebus antiquis perverterunt scribæ et typo- » graphi, palpare nos tanquam cæcos in obscuri- » tate diversitatum, rogantes Deum ut tempus » acceleret, quo amoveantur tenebræ et perplexi- » tates (2). »

His accidentalibus defectibus adde aliam erroris causam si minus in textu legendo aut transcribendo, at saltem in genuino sensu intelligendo : quantum differat a nostris idiomatibus lingua hebraica, imo a syriaca et arabica dialecto, non solum terminorum natura et paucitate, quæ etiam tironibus notæ sunt, sed amplius ac præsertim indole, vix dici potest : ideis abstractis necnon et terminis

(1) S. Hieron., *Præf. in Job.*

(2) Norz. *in Proverb.*, c. VII, 25 ; *Is.* LIV, 1 ; II *Reg.* XVIII, 29 ; *Ezech.* XI, 19 : vel apud de Rossi, *Var. Lect. Vet. Test.*, t. I, p. XI.

generalibus ita Hebræi carent, ut exinde usus invaluerit fere continuus terminos aut numeros particulares generalium loco usurpandi. Hinc, verbi gratia, amici Job patriarchæ, dolore perculsi, silent *septem diebus et septem noctibus* (1), mutat Laban mercedem Jacob *decem vicibus* (2), jubetur Petrus dimittere *septuagesies septies* (3), etc.

Attamen nonnulla dantur media cum intrinseca tum extrinseca quorum ope sacri textus lectio genuina aut sensus proprius restitui valent: etenim, comprobante Ecclesia, munus istud præstiterunt criticæ sacræ et archæologiæ orientalis periti, reductis ad formam meliorem nominibus propriis olim deturpatis, uti *Ben-adad*, *Nebucadnetstsar*, quæ ex assyriis et babyloniis monumentis hodie leguntur *Ben-adar*, *Nabu-kudur-utsur*, etc. Neque dubium est quin his adjumentis freti, critici ad genuinam textus formam in dies propius accedant, aut plurium locorum difficilium intellectu subtiliorem ac veriorem intelligentiam consequantur.

Textibus chronologicis pariter restituendis aut potius nova et meliori methodo explanandis adjutorium haud impar ex monumentis Ægyptiorum Chaldæorumque ætate nostra exquirere licet.

Quæ enim ex iis veteres historici, Berosus, Manetho, aliique concinnaverunt, non ita pridem habita uti delirantium auctorum fœtus, maxima nunc auctoritate ex nuperrime inventis artibus ea interpre-

(1) Job, II, 13.

(2) Gen. XXXI, 41.

(3) Cf. quoque Vigouroux, *les Livres Saints et la Critique rationaliste*, t. I, p. 14-19.

tandi, adaucta sunt. Hæc autem fortunæ mutatio quanti facienda sit, ex afferendis mox chronologorum textibus statim dijudicabis : colla enim demiserunt chronologi, et quæ incenderunt Vossius, Genebrardus, Petavius, etc., nostrates adorant.

Audi quid senserit de Chaldæis necnon et Ægyptiis omnium facile princeps noster Petavius : « Assur minime credimus proprium Nini esse nomen, sed gentilitium; ac vel populum Assyrium, » vel regem significare, quo sensu passim in Sacris » Litteris usurpari solet. Quamobrem de terra » Sennaar egressus est Assur, id est Assyrius » Ninus, qui Niniven ædificavit.

» Ex iis falsa illa constat esse quæ de Chaldæorum et Arabum imperiis quæ ante Assyrium » exstiterint Eusebius in Chronicis ex Africano commemoravit, quorum etiam rationem habuit Scaliger, ut eo nobis absurdiorem pareret chronologiam; in qua Beli et Assyriorum exordium » ante diluvium annis amplius sexaginta contigit. » Quibus si Chaldæos et Arabes illos adjungas, » quibus supra ducentos annos ex Africano Scaliger assignat, vides quo demum res evasura sit. » Ne igitur in hæc absurda revolvamur, Arabum, » Chaldæorumque vetustissimas res illas, aut fictas, aut fabulosas esse dicimus, aut iisdem quibus Assyrii florebant, temporibus exstitisse (1). »

Neque melior, eo judicante, causa ægyptiacarum dynastiarum, quarum seriem ex Manethune Eusebius, Africanus et Syncellus tradiderunt.

(1) Petav., *de Doctr. temp.*, t. II, c. XIII.

« Quo in originibus suis vetustati mandandis
» audaciores fuerunt Ægyptii quam reliquæ natio-
» nes, eo fœdioribus mendaciis illorum est historia
» omnis adspersa.... Sed ea gentis est fabulosa
» vetustas, nec minus pugnant cum veritate tot
» illæ dynastiæ quas ex Africano digessit Sca-
» liger ; in quo Eusebium frustra redarguit quod ab
» illa dynastiarum serie desciverit. Atqui dynas-
» tias illas confictas et ridiculas esse temporum
» longinquitas ostendit (1). » Imo Genebrardus, judaicis fabulis cæteroquin plurimis in locis plus æquo tribuens, neque nominare Manethunem, neque ejus laterculos conscribere dignatus est.

Contra vero Scaliger, via quasi media incedens, neque approbare neque rejicere Manethunem præsumpserat, inclusis tantummodo dynastiis ætati mosaicæ creationis prævenientibus in illud quod vocaverat *tempus prolepticon*. Imo collatis simul Herodoti ac Manethunis auctoritatibus : « utcum-
» que acciderit, nos majorem fidem, inquit, his
» dynastiis adhibemus quam Herodoto homini pe-
» regrino, cum eas e veteribus sacrorum Ægyptio-
» rum scriniis Manethos genere et domo ægyptius
» et sacerdos eruerit (2). »

Alii vero istos laterculos recipiebant, sed levissimis interdum de causis eos mutilabant, non minori veritatis detrimento, dynastiasque autumabant non quidem successive, sed simul in diversis Ægypti partibus, regnasse.

En quomodo Vossius in libro *de Ætate mundi*

(1) Petav., *de Doctr. temp.*. l. IX, c. XV.

(2) Scaliger, *de Emend. temp.*, *Canon. Isagog.*, p. 310.

« flaminis Heliopolitani imposturam » suggillet, et ostendat « quam mala fide gentis suæ vetusta- » tem in immensum pæne extenderit. » Annales enim ægyptiaci, auctore Vossio, numerabant « non reges proprie sed nomarchas ; » atque hac ratione « cum diversi reguli et sacerdotes in diver- » sis Ægypti Nomis seu præfecturis simul regna- » rint ; ille singulorum spatia separavit, et sic » longam contexuit seriem, annos implicitos in soli- » dos permutans (1). »

Jamdudum effugium istud ab ipso Eusebio didicerat Vossius, ut silentio prætereaam Panodori et Anniani, ægyptiorum monachorum, infausta tentamina quibus annorum loco menses lunares ponebantur. Scripserat enim Cæsariensis chronographus : « Quod si temporum copia adhuc exube- » ret, reputandum est plures *fortasse* Ægyptiorum » reges una eademque ætate exstitisse : namque et » Thinitas regnavisse aiunt, et Memphitas, et Sai- » tas, et Æthiopes, eodemque tempore alios. Viden- » tur præterea alii quoque in nomo semet conti- » nuisse, ita ut haud singuli reges successivam » potestatem acceperint, sed alius alio loco eadem » ætate regnaverit. Atque hinc contigit, ut tantus » numerus annorum confieret (2). »

At ipse Eusebius viam hanc vix ingressus dicendus est ; subdit enim : « Nos vero, his omissis, » persequamur singillatim Ægyptiorum chronolo- » giam (3). »

(1) Vossius, *de Ætate mundi*, p. 270.

(2) Euseb., *Chron.*, ed. Maï, *Script. Vet. Vatic. Coll.*, t. VIII, p. 96.

(3) *Ibid.*

Quo ab itinere declinaverat Eusebius, idem post Vossium prosecutus est P. Lequien, sub obtentu præcludendi aditus inanibus Præadamitarum effugiis : « (Vossius) compte douze Nomes principaux » qui avaient chacun son gouverneur, et après avoir » dit que Scaliger s'est donné de la peine inutile- » ment en instituant sa période pour y comprendre » ces dynasties, il propose le moyen de les bien » arranger : il faut placer celles des Memphites » toutes de suite ; ainsi des autres. Ceci suffit pour » résoudre toutes les difficultés qu'on nous pro- » pose ; et on peut dire que Vossius n'a jamais fait » paraître plus de bon sens qu'en cet en- » droit (1). »

Aliam abbreviandi rationem dein ipse suggerit : « On voit, dans la seconde dynastie des Diospolites, » un Sésonchis que les Égyptiens révéraient » comme un demi-dieu, un Sésostris et un Ame- » nemès que Manéthon met encore dans la dix- » neuvième dynastie. Dans cette dynastie, Séthos » ou Sésostris a pour successeur Rampsès, et dans » celle-ci, Lacharis ou Labaris.... Les rois de la on- » zième dynastie et de la douzième, c'est-à-dire de la » première et de la seconde des Diospolites, sont les » mêmes que ceux de la dix-huit et de la dix-neu- » vième, dont quelques-uns avaient plusieurs noms. » Ou plutôt les seize de la onzième dynastie, dont » on a tu les noms et les années, sont les seize » dieux ou demi-dieux dont Manéthon avait parlé, » et ceux de la douzième sont les princes qui, après » les demi-dieux, étaient les plus en vénération

(1) Lequien, *l'Antiq. des Temps détruite*, p. 261.

» chez les Égyptiens, comme Ménès qui les suit
» immédiatement sous le nom d'Amenemès (c'est
» un composé d'Ammon et de Ménès qui sont
» les deux noms du premier roi d'Égypte) (1). »

Dato, non concesso plures Ægypti reges unico eodemque nomine fuisse designatos, numquid inde præjudiciis minime occupatus quisquam concludere valeret unicum reipsa regem pluries in laterculis manethuniacis ad amplificandam seriem audacius repetitum fuisse? Ex mirando sane isto principio judica, si lubet, de variis regum Galliarum, Angliæ, aut Hispaniæ laterculis! Ad Amenemem quod attinet, nequaquam confundi debet nec potest cum *Mena,* primo Ægyptiorum rege, sed plura reliquit monumenta quorum ope nomen ejus principis, *Amen-em-hat*, magis accurate ac secure legere valemus.

Audi tandem tertium P. Lequien placitum : « Ou ces dynasties ont été collatérales, ... ou
» ce sont les mêmes rois qui ont régné à This
» et à Memphis, auxquels on a donné plusieurs
» noms différents. On sait assez que les Égyptiens
» donnaient plusieurs noms à leurs héros et à leurs
» princes. Cela paraît dans la pluralité des noms
» qu'ils ont donnés à Ménès, à Athotis, à Sésos-
» tris, etc. Diodore de Sicile dit qu'Osiris était
» appelé par les uns Sérapis; par les autres, Bac-
» chus; par d'autres, Amon, Jupiter et Pan.
» Manéthon, néanmoins, sans avoir égard à cette
» multiplicité de noms donnés à une même

(1) Lequien, *l'Antiq. des Temps détruite,* p. 265.

» personne, en a fait plusieurs dieux ou demi-
» dieux. Jugez de là du reste de ses dynasties (1). »

Argumenta pigra, quæ ipsam materiam parum attingunt, imo ridicula ; si enim Osiris seu *Osar-Hapi*, unus idemque deus tum re tum nomine cum diversis Græcorum numinibus, variorum munerum ratione, merito confundi potuit, quidnam ex hinc colligendum ducas ?

Idem pater Lequien brevius Chaldæorum causam absolvit : « Quoi qu'il en soit, on est convaincu
» qu'il n'y a rien de certain, touchant le commen-
» cement et la durée de ces Empires, que tout est
» dans la confusion, et ne mérite pas une grande
» attention (2). »

Ab his vero temporibus, nihil notatione dignum de rebus ægyptiacis inventum fuit aut editum ad nostram usque ætatem, qua primus junior Champollion hieroglyphica legere cœpit et interpretari ; at statim atque perlecta fuere, subita contigit fortunæ commutatio ; sacerdos Sebennyticus Manetho non jam uti impudens falsarius aut inanium commentariorum conscriptor, sed uti nobilissimus rerum antiquarum testis ac præco fidelissimus ; atque sæculorum series de quibus ipse meminerat, ad dynastias humanas quod attinet, non jam commentitia, sed certa, imo per quam necessaria haberi cœpit, ita ut fautores antiquitatis abbreviandæ ipsi in suspicionem venirent. Audi eos suggillatos maxima quidem modestia, ab ipso nostræ ætatis ἱερογραμματεῖ : « Je visitai pour la deuxième

(1) Lequien, *l'Antiq. des Temps détruite*, p. 278.

(2) *Ibid.*, p. 315.

» fois l'île d'Éléphantine... dont certains chronolo-
» gistes modernes ont voulu toutefois faire un
» royaume pour se débarrasser de la vieille dy-
» nastie égyptienne des Éléphantins (1). » —
« (L'histoire) de l'Égypte s'éclaircit; des monu-
» ments authentiques parlent, et jalonnent l'es-
» pace ; les Pharaons reprennent légitimement la
» place que de vains systèmes essayaient de leur
» disputer (2). »

Eadem mente iisdemque de causis scribebat Champollion natu major : « L'antiquité extraordi-
» naire de la civilisation égyptienne était encore
» une opinion trop nouvelle, elle dérangeait aussi
» trop d'avis contraires... pour qu'elle se pût éta-
» blir sans contradicteurs, et il ne lui en manqua
» point. Mais de nouvelles recherches devaient les
» confondre, et on n'en trouve presque plus au-
» jourd'hui qui refuseraient à l'Égypte autant de
» science et autant de siècles qu'il plaît à ses par-
» tisans de lui en accorder (3). »

Hinc theologia apologetica, ut Bibliam defendat, in bivium adducta est; alii enim, dimissa et derelicta chronologia Hebraici textus ac Vulgatæ versionis quam cæteroquin pro authentica habent, ita ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat, ad græcos codices confugiunt intra quorum numeros, exemplo et auxilio quorumdam eruditorum hieroglyphicos laterculos plus æquo abbreviantium uti Wilkinson, Palmer ac Rawlin-

(1) Champollion le Jeune, *Lettres écrites d'Égypte et de Nubie*, p. 171.

(2) Champ., *Précis du système hiéroglyphique*, p. XXI.

(3) Champollion-Figeac, *l'Égypte*, p. 97.

son, ægyptiacam chronologiam intrudere satagunt. Alii contra (1) rariores quidem, sed candidiores fortasse ac simpliciores, dissensum inter utramque computationem nullis fatentur ambagibus, et omissiones in biblicis genealogiis causantur. « Die » Geschichte des Alten Ægyptens, führt aber un- » streitbar in noch hoehere Zeitenferne. Manethos... » ist mit seinen 30 Dynastien und langen Koenigs- » listen durch die entzifferten Denkmale und Ur- » kunden glaenzend gerechtfertigt.... Somit kann » nicht zu beanstanden sein dass für die Neubil- » dung, Zerstreuung und Differenzierung des » menschlichen Geschlechts, sowie für die Dyna- » stien des alten Reichs und deren langsame Vor- » bildung und Vorbereitung auf verschiedenen » Culturgebieten, ... seit der Sintflut schon allein » eine groessere Periode, als die Septuaginta sie » bis Abraham zur Verfügung hat, vonnoethen » sein wird (2). »

Eamdem opinionem tuentur hodie clarissimi auctores P. de Bellynck, Hummelauer, Knabenbauer (3) necnon et P. Brucker, qui sequentia scribere minime dubitavit : « Nous croyons pouvoir » conclure que les chiffres contenus dans les généa- » logies de la Genèse n'imposent aucune limite cer- » taine aux chronologistes sérieux (4). » Quorum

(1) Quidam facilius nodum solvunt, affectata ægyptiacarum rerum omnimoda ignorantia, ad obsoletas auctoritates provocando ; cf. *Revue des Sciences ecclésiastiques*, anno 1886, *les Origines de l'homme*, p. 417, 475.

(2) *Kirchenlexicon*, zw. Aufl., B. I, S. 319-320.

(3) *Stimmen aus Maria-Laach*, 1874, p. 372.

(4) *La Controverse*, 15 mars 1886, p. 393.

sententiam ipsi libentes amplectemur uti veriorem necnon et tutiorem.

At quo facilius de propositæ quæstionis momento lector ipse judicet, sequentem tabellam varios variorum textuum ac monumentorum numeros referentem, haud inutiliter subjiciendam ducimus. A recentioribus, uti aiunt, epochis attingendis consulto abstinebimus, sed vetustiores tantummodo describemus sumpto supputandi principio ab eventibus quorum ætas vix in controversiam a peritis hodie adducitur, uti ab Exodo, regnante XIX^a Ægyptiorum dynastia, et ab obsessa captaque ab Assyriis Samaria, anno ante Christum DCCXXII°.

BREVIS CONSPECTUS CHRONOLOGICUS
AB EXODO AD CREATIONEM.

SECUNDUM HEBRAICOS CODICES		SECUNDUM GRÆCOS CODICES		SECUNDUM ÆGYPTIACA MONUMENTA		SECUNDUM CHALDÆORUM ASSYRIORUMQUE MONUMENTA	
	EXODUS.	. . . .		regnante *Mei-n-Ptah*, filio Ramessi II^i, dynastiæ XIX^æ, circa annum ante Christum 1600 vel 1500.		Sumpto concordiæ initio A CAPTA AB ASSYRIIS anno 722° SAMARIA, id est post Exodum anno 809° sequentia definire possumus :	
Ante Exod.		Ante Exod.		Ante Exod.		Ante Exod.	
430	ABRAHAM ex Haran Mesopotamiæ egreditur, auctoribus B. Paulo *Gal.* III, Rabbinis, *Seder Olam Raba* cap. III. et Samaritanis ; secundum systema Genebrardi, idem contigit circa annum 650um; de quo tamen confer	430	ABRAHAM ex Haran egreditur.				

SECUNDUM HEBRAICOS CODICES		SECUNDUM GRÆCOS CODICES		SECUNDUM ÆGYPTIACA MONUMENTA		SECUNDUM CHALDÆORUM ASSYRIORUMQUE MONUMENTA	
Ante Exod.	si lubet Petav. *de Doctr. temp.* t. II, c. XXV (1).	Ante Exod.		Ante Exod.		Ante Exod.	
797	DILUVIUM; vel secundum Genebrardum anno 1000.						
						880	Rex ZABU
						1280	Reges UR CHASDIM et TEL-LOH.
		1400	ARPHAXAD filius Sem gignit Cainan.	1405	SUMMA ANNORUM e media ratione confecta pro regibus ante Exodum, quorum authentica monumenta hucusque reperta sunt, omissis omnibus cæteris, etiam proditis a Josepho, Eusebio, etc.		
		1577	DILUVIUM ex codice Alexandrino (ex Vaticano autem anno 1677 reponi deberet).				
						2280	Reges SARGON et NARAM-SIN.
2453	CREATIO: vel secundum Genebrardum anno 2700.						
		3819	CREATIO (anno 3919 ex codice Vaticano).				
				3868	MENES primus Ægyptiorum rex secundum Eusebium; secundum vero Africanum anno 4386.		

(1) En textum laudatum chronologici operis cui nomen *Seder 'Olam Rabba.* « Sed fortasse inquies, totis quadringentis annis fuerunt Israelitæ in Ægypto. — At nonne Caath fuit de descendentibus in Ægyptum? Nonne etiam scriptum est : anni vitæ Caath 133, et anni vitæ Amram 137 qui ad 80 Mosis additi, dumtaxat reddunt annos 350. Quid igitur respondendum? Quo pacto hæc inter se concilianda? Nempe quod dicitur : *Et servient eis et affligent eos quadringentis annis,* docet totum tempus quo semen Abrahæ fuit in terra non sua comprehensum 400 annis. Dum ait *servient,* respicit dies servitutis atque habitationis in terra aliena; dum vero *affligent,* dies quibus oppressi afflictique sunt a Pharaone; qui quidem omnes (ab Isaac nato et versato cum suo semine in aliena ditione) usque ad Mosen, 400 annos complent. »

CAPUT II

Rationes sive intrinsecæ, sive extrinsecæ, quas propter incertam multi duxerunt Ægypti chronologiam.

Ægyptios utilissima arte tempora apprime distinguendi caruisse omnibus notum est, imo nihil est magis tritum et usurpatum ad certitudinem chronologiæ ægyptiacæ labefactandam. Etenim nulla fixa epocha, vel ut diximus æra, usi, minime uti nos ipsi a principio certo et communi, puta ab origine regiæ auctoritatis, sed ab initio regni uniuscujusque annos computabant.

Quinetiam quandoque exoritur computatio a die incepti imperii principe; quandoque contra ab initio anni civilis quo vita functus est rex antecedens. Imo regnantibus Ptolemæis Lagidis, pro anno solido habebantur menses ab initio regni ad finem usque anni civilis elapsi (1); an anterioribus temporibus res ita se habuerit, neque affirmare, neque denegare possumus, cum in variis monumentis, libellis aut contractibus eadem semper clausula dies adscribatur, uti ex subjectis colligere licet, quarum prima ad remotissimam anti-

(1) Champoll.-Fig., *Égypte*, p. 406.

quitatem, altera ad Moysis tempora, tertia ad Græcorum imperium pertinet.

I. *renpit meti Xmennu aah ftu sa* (i. e. *Mesore*)
anno decimo octavo mense quarto inundationis

hru suu suten Meri Ra
die sexta regis Meri Ra.

II. *renpit suu aah ftu n sa* (i. e. *Mesore*)
anno sexto mense quarto inundationis

hru t'aut suten Ptulmis
die vigesima regis Ptolemæi.

III. *renpit ftu sen aah ftu n per* (i.e. *Pharmuti*)
anno quadragesimo secundo mense quarto hiemis

suten Ra user Maa sotep n Ra
regis Ra - user - Maa - sotep - n - Ra (Ramses secundi).

Hinc quantacumque cura intexendæ Ægypti chronologiæ incumbatur, locus semper plus minusve late patebit dubiis minime certo contemnendis. Verum dubia hæc quam longe distent ab omnimoda de rebus ægyptiacis ignorantia, nemo est qui non facile perspiciat; neque proinde sufficere queunt ut fidenter asserere præsumamus cum pluribus optimæ quidem notæ eruditis, quos inter *G. Rawlinson*, doctissimus oxoniensis magister : « It is a patent fact, and one that is beginning to » obtain general recognition, that the chronolo- » gical element in the early Egyptian history is in » a state of almost hopeless obscurity. .... The » chronological value of these various sources of » information is, however, in every case slight...

» Generally speaking, the Egyptian monumental
» lists are not chronological at all (1). »

Namque ex additis in unum istis de quibus sumus locuti, anni partibus circa quas dubium versatur, vix sæculum unum confieret, quod non ita magni habendum est in sæculorum serie quali gaudet ægyptiaca monarchia.

Insuper inter variorum regum monumenta, plura desunt quam ut continua series ex istis constitui credatur : « The great defect of the monu-
» ments is their incompletness. The Egyptians
» had no era. They drew out no chronological
» schemes. They cared for nothing but to know
» how long each incarnate god, human or bovine,
» had condescended to tarry upon the earth.
» They recorded carefully the length of the life of
» each Apis bull, and the length of the reign of
» each king; but they neglected to take note of the
» intervals between one Apis bull and another, and
» omitted to distinguish the sole reign of a mo-
» narch from his joint reign with others (2). »

Omnia hæc neque denegare possumus, neque etiam intendimus; his autem non obstantibus, proposita quæstio sane in integro remanere dicenda est, si contemptis missisque his quæ perierunt monumentis, ex illis quæ hucusque comparuerunt intexta series latius patet aut altius quam ultimi Biblicæ Chronologiæ fines. Quin amplius, pace tanti viri dixerim, non multo melior ipsa apparet biblicæ chronologiæ causa, cui pariter multa de-

(1) G. Rawlinson, *History of Ancient Egypt*, p. 1-3, passim.

(2) *Ibid.*, p. 3-4.

sunt, scitu necessaria ad rite ordinandam temporum successionem, præsertim circa periodum ægyptiacæ servitutis et ætatem Judicum; imo regum sæcula quæ uberiori luce refulgere videbantur, hoc modo carpere non dubitabat S. Hieronymus : « Relege omnes et Veteris et Novi Testa- » menti libros, et tantam annorum reperies dis- » sonantiam, et numerum inter Judam et Israel, » id est, inter regnum utrumque, confusum, ut » hujuscemodi hærere quæstionibus non tam stu- » diosi quam otiosi hominis esse videatur (1). » Neque in patriarcharum laterculis numeri traduntur exactiores quam in documentis Ptolemæorum : etenim misso diversorum codicum discrimine, certo constare nequit, cum hic aut ille tot annos vixisse legitur, utrum integri an inchoati solum anni tum nativitatis tum mortis accipiendi sint. Solent enim chronologi eos uti solidos habere cum contrarium uti multo probabilius, imo uti certum habendum sit.

Ultima et quidem gravissima omnium circa res ægyptiacas obscuritatis ac suspicionis causa ex variis et sæpe contrariis veterum scriptorum commentariis exoritur. Ut omittamus Chæremonem, Hecatæum, Ptolemæum Mendesium et alios bene multos quorum libri injuria temporum periere, aut qui parum accurate et nonnisi data occasione de Ægypto scripserunt, de tribus tantum mentionem agitandam duximus, Herodoto scilicet, Diodoro et Eratosthene.

Herodotus, plura licet nobis tradiderit quæ ad

(1) S. Hier., *ep. ad Vital. presb.*

chronologiam proprie dictam reipsa spectant, non ideo dicendus est proprio historici munere functus. Mentione enim injecta de regibus CCCXLVII, XIX tantum nominatim conscribere dignatus est, e quibus sequentem conficere licet tabulam :

Generationum CCCXLI, i. e. annorum XIMCCCXL spatio (1).

Reges CCCXXX:
Menes, monarchiæ institutor.
Æthiopes reges XVIII.
Nitocris regina.
Mœris, a quo lacus effossus est.

Sesostris, gentium domitor.
Pheron.
Græcorum *Proteus*.
Rhampsinitus.
Cheops, *Cephren*, *Mycerinus* — pyramidum auctores.
Asychis.
Anysis cæcus.
Sabaco regnat annos L.
Anysis denuo restauratus.
Sethos Vulcani antistes.
Dodecarchia.

LIV	*Psammetichus*.
XI	*Necos*.
VI	*Psammis*.
XXV	*Æpries*.
XLIV	*Amasis*.
menses VI	*Psammenitus*.

XIMCCCCLXXX annorum summa.

(1) Herod., l. II, 142.

Quo autem e schemate id unum deduci potest, antiquissimam esse, Herodoto auctore, ægyptiacam monarchiam. Potius autem ac libentius populares fabulas quam veri nominis annales tradidit « historiæ Parens », uti ex nugis Rampsiniti divitis, Pheronis ab uxore decepti, Sesostris totum perlustrantis orbem, et his similibus permultis fabulis colligitur. Imo nomina parum accurate ab eo relata sunt, Cheops et Cephren loco *Xufu* et *Shafra*, Sesostris loco *Sesu-Ra*; denique series chronologica a naturali ordine sæpius defraudatur, permixtis forte in itinere Herodoti papyraceis chartulis : hinc Sesostris legitur anterior Cheopi, cum aperte declarant monumenta Sesostri Cheopem plus viginti sæculis præivisse.

Tempore Julii Cæsaris, Diodorus Siculus in Bibliotheca res ægyptiacas nobis tradere studuit; an istud ei melius cesserit quam Herodoto, non est adeo perspicuum. Ad generalem historiæ tramitem quod attinet, non multum ab ipso Manethune discrepare deprehenditur. Primo imperitasse refert, sed parum credulus aut aperte diffidens, in Ægypto deos et heroes, annorum paulo minus octodecim millia, ultimumque ex diis fuisse Horum, Isidis filium; ab hominibus autem, quod ad nos magis spectat, regnatum esse inde a Mena (1) annis paulo minus quinque millibus usque ad centesimam octogesimam Olympiadem, annum scilicet sexagesimum ante

(1) In textu legitur βεβασιλεῦσθαι φασιν ἀπὸ Μοίριδος; at Menes loco Mœridis ponendus est, cum Diodorus ipse, paucis interjectis lineis, hæc habeat : Μετὰ τοὺς Θεοὺς τοίνυν πρῶτόν φασι βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου Μηνᾶν, quibus apprime consonant hieroglyphica monumenta.

Christum natum (1). Quædam insuper Herodoti laterculo addidit regum nomina, scilicet :

Busirin *Uchoreum*	ante Mœrin.
Sesoosin *Amasin* *Actisanen* *Menden*	ante Proteum seu Ketna.
Nilum ante Cheopem seu Chemmin.	
Tnephactum *Bocchorim*	ante Sabaconem Æthiopem.

At hæc minime sufficiunt quibus spatium VM annorum exhauriri valeat : aliunde tradita nomina ab ægyptiacis vocabulorum formis multo magis in Diodoro quam in Herodoto distare deprehenduntur.

Tertium laterculum ex ipsis Thebæorum regum annalibus excerpsisse fertur ERATOSTHENES, Alexandrinæ bibliothecæ præpositus, imperante Ptolemæo Epiphane; suo tamen laterculo nonnisi regum a Thebæis sacerdotibus receptorum et solis quidem temporibus vetustissimis, nomina colligere intendit. En quomodo Eratosthenis series apud Georgium Syncellum præservetur, qui cæteroquin ipsum Alexandrinum nusquam legerat, sed Apollodorum a quo is fuerat exscriptus.

(1) Diodori Siculi *Biblioth.*, l. 1, n. 44.

1	*Menes* Thebæus, seu Dionius (1). . .	LXII
2	*Athothes*, seu Hermogenes. . . .	LIX
3	*Athothes*.	XXXII
4	*Diabies*, seu Philæterus (2). . . .	XIX
5	*Pemphos* (vel *Semphos*) Heraclides. .	XVIII
6	*Toigaramachus Momchiri*. . . .	LXXIX
7	*Stæchus*, seu Ares.	VI
8	*Gosormies*, seu Etesipantus. . . .	XXX
9	*Mares*, seu Heliodorus.	XXVI
10	*Anoyphis* (3).	XX
11	*Abascantus*, seu Sirius.	XVIII
12	*Chnubus* Gneurus.	XXII
13	*Rauosis*, seu Archicrator	XIII
14	*Biyris*.	X
15	*Saophis*.	XXVII
16	*Saophis II* (4); aliter *Sensaophis*. .	XXIX
17	*Moscheres*, seu Heliodorus. . . .	XXXI
18	*Musthis*.	XXXIII
19	*Pammus* Archondes.	XXXV
20	*Apapus*, seu Gigas	C
21	*Acheseus Ocaras*.	I
22	*Nitocris*, seu Minerva victrix. . .	VI
23	*Myrtæus*, seu Ammonodotus. . . .	XXII
24	*Thyosimares* (5).	XII
25	*Thinillus*.	VIII
26	*Semphucrates*, seu Hercules Harpocratis.	XVIII
27	*Chuter* Taurus.	VII
28	*Menres* Philoscorus, seu Solis dilectus.	XII

(1) Georgii Syncelli *Chronogr.*, p. 91.

(2) *Ibid.*, p. 96.

(3) *Ibid.*, p. 102.

(4) *Ibid.*, p. 104.

(5) *Ibid.*, p. 109.

29	*Chomæphtha*, seu Cosmus Vulcani dilectus.	XI
30	*Sæcuniosochus*.	LX
31	*Pente-athyres* (1).	XVI
32	*Stamenemes II*.	XIII
33	*Sistosichermes*, seu Hercules fortis. .	LV
34	*Maris*.	XLIII
35	*Siphoas*.	V
36	(2).	XIV
37	*Phruron*, seu Nilus.	V
38	*Amythantæus*.	LXIII
	Annorum summa	MLXXVI

Laterculus iste, uti primo adspectu apparet, multum differt ab iis quos supra retulimus, neque minus distat a tabellis Manethunianis de quibus mox verba faciemus, ita ut eruditissimi viri multum insudaverint ad concordiam inter hos canones reducendam; sed hucusque frustra eos adlaborasse fatemur.

Duas tamen hac de causa proposuerunt hypotheses. Alii, inter quos ipse Champollion, æstimarunt diversis laterculis eosdem reges exhiberi, sed a Manethune conscriptum fuisse nomen unicuique proprium, ab Eratosthene vero nomen regale. Verum quidem est reges ægyptios pluribus nominibus insignitos fuisse : præter nomen proprium quod singulis erat a puero, alterum assumebant statim atque regnum erant adepti ; hoc more Ramses II vocabatur *Ra-usur-ma-sotep-n-Ra*; Mene-

(1) Georgii Syncelli *Chronogr.*, p. 123.

(2) *Ibid.*, p. 147.

phtah, *Hotep-her-ma;* Ahmes, *Neb-pehti-Ra;* imo Alexander junior, *Meri-Amen-sotep-n-Ra;* etc. Huic consuetudini morem gerens Champollion autumabat hac ratione solvi posse quæstionem propositam (1). At vero regum a Manethune allatorum novimus tum nomen, tum cognomen, neutro tamen cum Eratosthene consonante, ita ut alia hypothesis necessario fingi debeat.

Viam cæteroquin stravit ipse Eratosthenes, professus scilicet hoc unum sibimetipsi fuisse consilium, nomina Thebæorum in tabellis suis excerpendi, minime vero cæterorum. Namque norunt omnes *T-ape, T-abe* (unde vocem Θῆβαι mutuati sunt Græci), urbem Altioris Ægypti præcipuam interdum propriis regibus paruisse; plurium loco adducere liceat *Entef*, *Monthu-hotep,* et *Entef-aa,* qui Thebis dominati sunt, nondum exstincta undecima Abydena dynastia (2).

Hinc mirandum minime, aiunt, exactissimum deficere consensum inter utramque regalem seriem : quibus temporibus imperitaverunt principes viribus et auctoritate præpotentes, hi deprehenduntur cum a Manethune tum ab Alexandrino nominati, quippe qui per totam Ægyptum auctoritatem exercuerint; at ubi remissior erat hæc Memphitarum aut Abydenorum auctoritas, proprium sibi principem statim Thebæi constituebant; hac ergo

(1) Champoll., *Précis du syst. hiérogl.*, p. 268.

(2) G. Rawlinson, *History of Ancient Egypt,* p. 127; Maspéro, *Histoire ancienne,* p. 98; Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient,* t. II, p. 101, 9e édition.

ratione legi possunt in utroque laterculo celeberrimi principes

Thinitæ	:	Menes,
		Athothis,
		Semempses;
Memphitæ	:	Souphis,
		Mycerinus, Moscheres;
Elephantini	:	Apophis, Phiops,
		Nitocris.

Aliquid non adeo dissimile deprehendere est non jam in græcanicis excerptis, sed et in ipsis Ægyptiorum documentis uti tabulis Abydena et Saqqarina, de quibus nobis amplius erit infra dicendum utpote regum seriem pluribus in locis variam tradentibus : quo loco enim exhibetur Saqqarinus *Neterbiu*, legitur Abydenus *But'au* cui apprime consonare videtur Manethunius βοηθὸς, primus secundæ dynastiæ princeps; tertiæ autem initio, loco *T'et'i* Abydeni prostat Saqqarinus rex *Bebi*. fortasse tamen scalptoris errori adscribendus.

Cætera nomina ab Eratosthene collecta difficilius explorari possunt : etenim Thebæorum quæ supersunt monumenta vix ultra dynastiam undecimam retrorsum pertingunt. præpositus vero Alexandrinus vetustiores tantummodo principes tradere est professus. Subdit namque laterculo Syncellus : Ἡ τῶν λη΄ βασιλέων τῶν κατ᾽ Αἴγυπτον λεγομένων Θηβαίων ὧν τὰ ὀνόματα Ἐρατοσθένης λαβὼν ἐκ τῶν ἐν Διοσπόλει ἱερογραμματέων παρέφρασεν ἐξ Αἰγυπτίας εἰς Ἑλλάδα φωνὴν, ἐνταῦθα ἔληξεν ἀρχή... Τῶν δὲ τούτοις ἐφεξῆς ἄλλων νγ΄ Θηβαίων

Βασιλέων ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἀπολλοδώρου παραδεδομένων τὰς προσηγορίας περιττὸν ἡγούμεθα ἐνταῦθα, ὡς μηδὲν συμβαλλομένας ἡμῖν, παραθέσθαι (1).

Quam accurate hæc omnia inter se conveniant ad confirmandam Ægypti remotissimam antiquitatem, nemo non videt; quam vero imparia existant ad certam chronographiam intexendam, neque quemlibet potest effugere.

(1) Georg. Sync. *Chronogr.*, p. 147.

CAPUT III

Ægyptii Manethunis fragmenta.

Ex variis quæ hucusque attulimus fragmentis, valde difficile, imo impossibile foret explorare quo sensu accipienda sit et explananda Bibliæ chronologia; nam eorum ope nullius regis ætas definiri valeret, quod tamen nobis esset prorsus exoptandum, imo quod esset necessario præstandum, ad generalem utriusque historiæ, profanæ scilicet et biblicæ, conspectum eruendum ac propugnandum.

At munus illud sane præstabunt fragmenta cuidam Manethuni adscripta, parum completa quidem, sed e quibus mirabilis utilitatis fructus potest excerpi, et quæ in dies ita majori gaudent auctoritatis incremento ut hæc Petavii de celeberrimo Censorini loco, etiam de Manethune usurpare nobis liceat: « Quod mihi singulare et admirabili Dei provi- » dentia factum videtur; ut antiquissimorum me- » moria temporum atque insignium epocharum » tituli incolumes ad nos et incorrupti hoc seques- » tre ac fidejussore pervenirent (1). »

Manetho, græce Μανεθῶ, Μανεθῶθ, Μανεθὼς, Μανέθων, ægyptiaca lingua *Ma-n-Ta'uti*, veritas Thoth seu

(1) Petav., *de Doctr. temp.*, t. II, c. XLV.

dei Hermetis (1), uti pluribus placet, — vel *Mai-n-Ta'uti*, dilectus a Thoth, quemadmodum legimus *Mai-n-Pta'*, dilectus a Ptah, uti nobis magis arridet, — ex urbe *Theb-nutri* cui græce nomen Σεβέννυτος, in Ægypto inferiori oriundus, scribebat, ut traditum est, ætate Ptolemæi Philadelphi, quo regnante publicis tabulis erat præpositus. Jubente rege, annales græca lingua concinnatos, e veteribus Ægypti documentis excerpsit : cujus operis tribus partibus olim constantis, pauca tantum hodie supersunt fragmenta (2).

Breviter nunc nobis est declarandum quinam textum ipsum Manethunis servaverint. Quamvis enim temporum injuria libri ejus perierint, multis tamen ab auctoribus recogniti fuerunt qui ex istis ad fines quidem satis diversos concinnaverunt excerpta.

A Josepho Judæo plura scriptoris ægyptii capita descripta sunt, scilicet Pastorum regum historia,

(1) Cf. *Ma-n-Ra*, veritas dei Ra, etc.

(2) Circumfertur, et apud Syncellum legi potest brevissimus prologus quo totum libri argumentum ipse Manetho, missis ad Ptolemæum litteris, declarat.

Ἐπιστολὴ Μανεθῶ τοῦ Σεβεννύτου πρὸς Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον.

Βασιλεῖ μεγάλῳ Πτολεμαίῳ Φιλαδέλφῳ σεβαστῷ Μανεθῶ ἀρχιερεὺς καὶ γραμματεὺς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων, γένει Σεβεννύτης ὑπάρχων Ἡλιουπολίτης, τῷ δεσπότῃ μου Πτολεμαίῳ χαίρειν.

Ἡμᾶς δεῖ λογίζεσθαι, μέγιστε βασιλεῦ, περὶ πάντων ὧν ἐὰν βούλῃ ἡμᾶς ἐξετάσαι πραγμάτων, ἐπιζητοῦντι σοι περὶ τῶν μελλόντων τῷ κόσμῳ γίγνεσθαι καθὼς ἐκέλευσάς μοι παραφανήσεταί σοι ἃ ἔμαθον ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. ἔρρωσό μοι δέσποτα μου βασιλεῦ.

An genuinus sit iste prologus, non ita magni interest, nec quærendo immorabimur; his fuisse dedicatum opus cui titulus Αἰγυπτιακά asserunt alii, alii autem alterum cui titulus Βίβλος Σώθεος. Quidquid de ejus origine teneatur, ex eo tamen colligi potest quidnam de Manethune Byzantini scriptores censuerint.

dynastiarum xviiiæ et xixæ annales (1), etc. Quæ sæpe ad verbum referre professus est, unde certum nobis videtur Manethunem non nudam texuisse nominum annorumque seriem, sed proprie dictam historiam exarasse e qua cum Africanus tum Eusebius canones suos compendii more protulerunt.

Hanc ergo provinciam prior suscepit J. Africanus, sæculo tertio; is enim regios laterculos ordinavit quos admisit in Πεντάβιβλον suam. Jamdudum interierunt Africani opera, iis tamen exceptis quæ laudavit Origenes, aut Georgius Syncellus transcripsit (2). E quibus tamen luculenter demonstratur quo studio et quanta cura Manethunis collegerit numeros : ubi enim ægyptiacam supputationem cum propria componere nequit, candidi ac rarioris inter veteres argumentum ingenii, dissensum fatetur nec velare tentat, nedum genuinos numeros adulteret. Unum exemplum, omnium loco, juvat producere : profitetur Exodum obtigisse tempore diluvii Ogygis, nempe anno mundi conditi MDCCCXCVI°, et simul regnante Pharaone Amosi; at nihilominus profitetur satis ingenue, Manethunianis numeris regnum istius Amosis ultra annum mundi MDCLVIIum produci non posse : potius ergo dissensum nullis prodit ambagibus quam numeros clanculum adulterare præsumit.

Munus idem sustinuit sæculo quarto Eusebius ille Cæsariensis : hic enim non solum uti Africanus hominum, sed et deorum, semideorum ac manium

(1) Jos., *contra Apion.*, l. I, c. 14, 15, 16.

(2) Orig., t. I, p. 41, ed. Migne ; Georg. Sync., *Chron.*, passim.

dynastias quæ apud auctorem Libri Sotheos asservabantur, in Chronicis suis ordinatim ac dilucide recensuit. In numeris autem plerisque, tum judaicas, tum ægyptiacas res pertractans, ab Africano dissentire minime dubitat : uterque ex hinc diversum textum sebennytici scriptoris præ oculis habuisse æstimandus est. Plura cæteroquin ejus exstitisse exemplaria jam a tempore Judæi Josephi, aperte is ita innuit : Ἐν ἄλλῳ ἀντιγράφῳ, de regibus pastoribus verba faciens, οὐ Βασιλεῖς σημαίνεσθαι, ... ἀλλὰ αἰχμαλώτους ποιμένας.

Hos autem ab Africano discrepantes numeros, ab amanuensium Eusebianorum vitio haudquaquam esse repetendos apprime concludi potest ex diversis qui hucusque permanserunt, Cæsariensis codicibus : namque is legitur in latina S. Hieronymi versione, in armeniaca translatione ab eruditissimo C. A. Maï edita, denique in excerptis Eusebii a Byzantinis chronographis concinnatis, præsertim in Georgii Syncelli historia : qui textus omnes sibimetipsis satis accurate consonare deprehenduntur. Imo ipse Eusebius cum Africano consentit modo prorsus mirabili atque inexspectato, nempe in summis annorum quæ dynastias singulas sequuntur, licet in numeris regi unicuique propriis alter ab altero dissentiat. Quin amplius additis in solidum singulorum numeris, summam ab Eusebiana diversam sæpius invenies ; errores autem istius generis, quos neque librarii neque translatores corrigere ausi sunt sive latini, sive armeni, nobis aperte declarant neminem in ipsum Eusebii textum manus audaciores unquam injecisse ; ac

proinde dubium non est quin numeri integri ac sinceri nobis ab amanuensibus servati fuerint.

Opus Manethunis e tribus partibus olim exstitisse, ex Eusebii armeniaca versione, Africano et Syncello colligi potest. Τῶν γὰρ ἐν τοῖς τρισὶ τόμοις ριγ′ γενεῶν ἐν δυναστείαις λ′ ἀναγεγραμμένων, αὐτῶν ὁ χρόνος παντα συνῆξεν ἔτη ,γφνε′ (1).

Liber primus ita describitur : Ἑνδεκάτη δυναστεία Διοσπολιτῶν βασιλέων ιϛ′, οἵ ἐβασίλευσαν ἔτη μγ′. Μεθ’ οὓς Ἀμμενέμης ἔτη ιϛ′. Μέχρι τοῦδε τὸν πρῶτον τόμον καταγήοχεν ὁ Μανεθῶ. Ὁμοῦ βασιλεῖς ρϟβ′, ἔτη ,βτ′, ἡμέραι οθ′ (2).

Alter vero sequentia complectitur, eodem Syncello teste : Εννεακαιδέκατη δυναστεία βασιλέων ζ′ Διοσπολιτῶν.... Ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ δευτέρου τόμου Μανεθῶ βασιλεῖς ϟϛ′ ἔτη ,βρκα′ (3).

Tomus denique tertius usque ad Alexandri Macedonis regnum pertingebat : Δαρεῖος ἔτη δ′. Ὁμοῦ ἔτη γ′ τόμου ,αν′. Μέχρι τῶνδε Μανεθῶ· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἐξ Ἑλληνικῶν συγγραφέων (4).

His ergo præmissis, ex Eusebianis chronicis sive græca, sive latina, sive armeniaca lingua conscriptis, et e canonibus Africani a Syncello traditis, sequentes laterculos uti vere Manethunianos concinnare ac proponere possumus.

(1) G. Sync. *Chron.*, p. 52.

(2) *Ibid.*, p. 60.

(3) *Ibid.*, p. 72.

(4) *Ibid.*, p. 77.

ÆGYPTIORUM REGES

LIBER PRIMUS

Prima dynastia Thinitarum.

1	*Menes*	annos regnavit	62	
2	*Athothis*		57	
3	*Cencenes*		31	*Athothis* alter, ex Eratosthene.
4	*Uenephes*		23	
5	*Usaphædus*		20	
6	*Miebidus*		26	
7	*Semempses* (al. *Mempses*)		18	
8	*Bieneches*		26	
		Summa	253	ex Africano; ex Eusebio autem 252; licet ex ipsius numeris in solidum junctis confiant 263 anni.

Secunda dynastia Thinitarum.

1	*Boethus*		38	
2	*Cœechus*		39	
3	*Binothris*		47	
4	*Tlas*		17	Istorum nomina omisit Eusebius, uti memoria indignorum. (4–6)
5	*Sethenes*		41	
6	*Chæres*		17	
7	*Nephercheres*		25	
8	*Sesochris*		48	
9	*Cheneres*		30	nomen ab Eusebio omissum quia « sub nono nil memoria dignum actum est. »
		Summa	302	secundum Eusebium 297

Tertia dynastia Memphitarum.

1	*Necherophes* (al. *Necherochis*)	28	
2	*Tosorthrus* (al. *Sesorthrus*)	29	
3	*Tyris*	7	« Sex reliqui nihil commemorandum gesserunt.» Euseb. arm.
4	*Mesochris*	17	
5	*Soyphis*	16	
6	*Tosertasis*	19	
7	*Aches*	42	
8	*Sephuris*	30	
9	*Cerpheres*	26	
	Summa	214	secundum Eusebium 197

Quarta dynastia Memphitarum.

1	*Soris*	29	« Quarta dynastia Memphitarum regum XVII (forsan ex addita Elephantina sequente dynastia) quorum tertius Suphis ;... de reliquis regibus nil memorabile. » Euseb. arm.
2	*Suphis*	63	
3	*Suphis* (al. *Chephren* apud Eus.)	66	
4	*Mencheres*	63	
5	*Rhatœses*	25	
6	*Bicheris*	22	
7	*Sebercheres*	7	
8	*Thampthis*	9	
	Summa	284	secundum Eusebium 448

Quinta dynastia Elephantinorum.

1	*Usercheres*	28	
2	*Sephres*	13	
3	*Necherpheres* (al. *Nephercheres*)	20	
4	*Sisires* (al. *Sisichis*)	7	de Eusebio cf. quæ præcedunt et quæ sequuntur.
5	*Cheres*	20	
6	*Rathures*	44	
7	*Mencheres*	9	
8	*Tacheres*	44	
9	*Onnus, Unus* seu *Obnus*	33	
	Summa	248	reipsa anni 218 conficiunt.

Sexta dynastia Memphitarum.

1	*Othoes*	30
2	*Phius*	53
3	*Methusuphis*	7
4	*Phiops*	94
5	*Menthesuphis*	1
6	*Nitocris*	12
	Summa	203

Euseb. seriem turbasse facile credendus : « Quinta dyn. Eleph. XXXI quorum primus Othius,.... quartus Phiops qui regiam dignitatem a sexto ætatis anno ad centesimum usque tenuit.» (100 — 6 = 94) Eus. arm. « Sexta dyn. Femina quædam Nitocris.... Regnatum est annis CCIII. » Eus. arm. reipsa confiunt anni 197.

Septima dynastia Memphitarum.

Reges 70 apud Africanum

Reges 5 apud Eusebium : attamen ex summa regum 192 quam affert sub fine libri primi Manethuniani, concludendum est reipsa Eusebium scripsisse 75.

dies 70

Græc. οἳ ἐβασίλευσαν ἡμέρας οε΄ (75 dies). *Arm.* « qui annis LXXV dominati sunt. » Collatione facta cum Africano, facile deprehenditur meliorem esse lectionem græci quam armeniaci textus.

Octava dynastia Memphitarum.

Reges 27

Reges 5

Summa 156

apud Eusebium vero anni 106

Nona dynastia Heracleopolitarum.

1 *Achthoes*

Achthoes

18 Reges			3 Reges in gr. et arm.; 19 in excerpt. Barb. (1).
	Summa	409	Apud Eusebium gr. et arm. 100; in excerpt. Barb. 409.

Decima dynastia Heracleopolitarum.

Reges 19

Summa 185

Undecima dynastia Diospolitarum.

Reges 16

Summa 43

Ex his dynastiis in solidum junctis reipsa confiunt anni

2261 ac dies 70 secundum Africanum.	2059 ac dies 75 secundum hodiernum Eusebii textum.
	2368 ac dies 75 secundum Eusebium ex Barb. excerptis correctum.

LIBER SECUNDUS

Duodecima dynastia Diospolitarum.

Amenemes dynastiæ præcedenti subscriptus.

1	*Sesonchosis*	46
2	*Ammenemes*	38
3	*Sesostris*	48
4	*Labaris* labyrinthi ædificator (al. *Lachares, Lamaris*)	8

(1) De his excerptis cf. *Hist. Græc. Fragm.*, ed. Didot, t. II, p. 518.

5	*Ammeres*	8	*Lamaris* « regnaverunt successores annis 42. » Euseb. græc. et arm.; contra, ex Africani numeris confiunt anni 22.
6	*Ammenemes*	8	
7	*Scemiophris* præcedentis soror	4	
	Summa	160	Secundum Eus. 245; quo vero pacto definire non possum, nam ex ipsissimis Eusebii numeris revera confiunt 180.

Dynastia decima tertia Diospolitarum.

Reges 60

Summa 453

Dynastia decima quarta Xoitarum.

Reges 76

Summa 134 — Sec. Euseb. 184, et ut alibi legitur 484 : οἳ ἐβασίλευσαν ἔτη ρπδ'· ἐν ἄλλῳ υπδ'· (1)

Decima quinta Dynastia.

PASTORUM			DIOSPOLITARUM
1	*Saites* (Phaeniceus)	19	
2	*Anon* (al. *Bnon*)	44	
3	*Apachnas* (al. *Pachnan*)	61	
4	*Staan*	50	
5	*Archles* (al. *Anchles*)	49	
6	*Apophis* (al. *Aphobis*)	61	
	Summa	284	apud Eusebium 250

Decima sexta dynastia.

PASTORUM		DIOSPOLITARUM
Reges 32		Reges 5
	Summa 518	apud Eusebium 190

(1) G. Sync. *Chronogr.*, p. 61.

Decima septima dynastia.

PASTORUM ET DIOSPOLITARUM		PASTORUM cf. Afric. dyn. dec. quint.	
Reges 43 Pastores et simul 43 Diospolitæ		1 *Saites* (al. *Salites*)	19
		2 *Bnon* (al. *Abnon*)	40
		3 *Archles* (al. *Apophis*)	30
		4 *Apophis* (al. *Archles*)	14
Summa	151	Summa	103

Decima octava Dynastia Diospolitarum.

1	*Amos*	..	Amoses regnavit annos	25
2	*Chebros*	13		
3	*Amenophthis*	24		
4	*Amensis* (*Amersis*)	22	Amensis ab Eusebio omittitur	
5	*Misphris*	13		
6	*Misphragmuthosis*	26		
7	*Tuthmosis*	9		
8	*Amenophis* Memnon	31		
9	*Horus*	37		
10	*Acherres*	32	*Achencheres*	16 aut 12
11	*Rathos*	6	*Athoris* 39 } leguntur in græco, sed in armeniaco desiderantur	
12	*Chebres*	12	*Chencherres* 18 }	
13	*Acherres*	12	8	
			Cherres additur, 15 annos	
14	*Armeses*	5	68	
15	*Ramesses*	1	40	
16	*Amenophath*	19		
	Summa	263	348	

Decima nona dynastia Diospolitarum.

1	*Sethos*	51	1	*Sethos*	55
2	*Rapsaces*	61	2	*Rampses*	66
3	*Ammenephthes*	60	3	*Amenophthis*	8
4	*Rameses*	60		Is deest in Eusebii laterculis	

5	*Ammonemnes*	5	4	*Ammenemes*	26
6	*Thuoris*	7	5	*Thuoris*	7
	Summa	209			194

Summa omnium dynastiarum libro secundo commemoratarum ex Africani computo 2172.

LIBER TERTIUS

Vigesima dynastia Diospolitarum.

12 Reges	135	12 Reges	172

Vigesima prima dynastia Tanitarum.

1	*Smendes*	26	1	*Smendis* (al. *Amendis*)	26
2	*Psusennes*	46	2	*Psusennus*	41
3	*Nephelcheres*	4	3	*Nephercheres*	4
4	*Amenophthis*	9	4	*Amenophthis*	9
5	*Osochor* (al. *Osochon*)	6	5	*Osochor*	6
6	*Psinaches*	9	6	*Psinnaches*	9
7	*Psusennes*	14	7	*Psosennes*	35
	Summa	130			130

Vigesima secunda dynastia Bubastitarum.

1	*Sesonchis* (al. *Sesonchosis*)	21	1	*Sesonchusis*	21
2	*Osorthon*	15	2	*Osorthos*	15
3, 4, 5	ἄλλοι τρεῖς ἔτη κε΄.	25			
6	*Tacelothis*	13	3	*Tacellothis*	13
7, 8, 9	ἄλλοι τρεῖς ἔτη μβ΄.	42			
	Summa	120			44

Vigesima tertia dynastia Tanitarum.

1	*Petoubastes*	40	1	*Petubastis*	25
2	*Osorcho* (al. *Osorchon*)	8	2	*Osorthon*	9
3	*Psammus*	10	3	*Psammus*	10
4	*Zet* (34 aut)	31			
	Summa	89			44

Vigesima quarta dynastia.

1 *Bocchoris* Saites regnavit annos 6

Vigesima quinta dynastia Æthiopum.

1	*Sabaco*	8	*Sabacon*	12
2	*Sebichus* (al. *Sevechus*)	4	*Sebichus*	12
3	*Tareus*	18	*Taraeus*	20
	Summa	40		44

Vigesima sexta dynastia Saitarum.

			1	*Ammeres* Æthiops	18
1	*Stephinates*	7	2	*Stephinatis*	7
2	*Nechepsos*	6	3	*Nechepsos*	6
3	*Nechao*	8	4	*Nechao*	6
4	*Psammetichus*	54	5	*Psammetichus*	44
5	*Nechao* alter	6	6	*Nechao* alter	6
6	*Psammuthis*	6	7	*Psammuthes*	17
7	*Uaphrias*	19	8	*Uaphres*	25
8	*Amosis*	44	9	*Amosis*	42
9	*Psammecherites* menses	6			
	Summa	150 1/2			167

Vigesima septima dynastia Persarum.

1	*Cambyses*	6	1	*Cambyses*	3
			2	Magus	m. 7
2	*Darius* Hystaspis	36	3	*Darius* Hystaspis	36

3	*Xerxes*	21	4	*Xerxes*	21
4	*Artabanus*	m. 7			
5	*Artaxerxes*	41	5	*Artaxerxes*	40
6	*Xerxes* alter	m. 2	6	*Xerxes* alter	m. 2
7	*Sogdianus*	m. 7	7	*Sogdianus*	m. 7
8	*Darius*	19	8	*Darius*	19
	Summa	124 m. 4			120 m. 4

Vigesima octava dynastia.

1 *Amyrtæus* Saites regnavit annos 6.

Vigesima nona dynastia Mendesiorum.

1	*Nepherites*	6	1	*Nepherites*	6
2	*Achoris*	13	2	*Achoris*	13
3	*Psammuthis*	1	3	*Psammuthes*	1
			4	*Muthes*	1
4	*Nephorites*	m. 4	5	*Nepherites*	m. 4
	Summa	20 m. 4			21 m. 4

Trigesima dynastia Sibennytarum.

1	*Nectanebes*	18	1	*Nectanebes* 10; in canone vero	18
2	*Teos*	2	2	*Teos* 2;	2
3	*Nectanebes*	18	3	*Nectanebes* 8; in canone vero	19
	Summa	38		20	

Trigesima prima dynastia Persarum.

1	*Ochus*	2	1	*Ochus*	6
2	*Arses*	3	2	*Arses*	4
3	*Darius*	4	3	*Darius*	6
	Summa	9		Summa	16

Summa omnium dynastiarum libro tertio commemoratarum ex Africani computo, anni 862.

Hinc Manetho, secundum computationem Africani, annorum 5295 a tempore Menæ primi Ægyptiorum mortalis regis usque ad Alexandrum Macedonem, seu ab anno ante Christum natum 5627 ad annum 332, historiam tradidit.

Qua vero ætate scribebat sacerdos Sebennyticus, certum est plurima exstitisse documenta e quibus sufficientem rerum politicarum notitiam haurire potuit : etenim præter auctorem Manethuniani Prologi de quo supra verba fecimus, testes in quos nulla cadit suspicio inducere juvat, cæteros ut omittamus, et qui sæpius asserunt visa fuisse a semetipsis Ægypti annales aut historica monumenta, scilicet Herodotum atque Diodorum.

Herodotus enim, instituta de Ægyptiis oratione : Μνήμην ἀνθρώπων πάντων ἐπασκέοντες, μάλιστα λογιώτατοί εἰσι μακρῷ τῶν ἐγὼ ἐς διάπειραν ἀπικόμην (1).

Ἀριθμέοντες ὦν καὶ δεικνύντες οἱ ἱρέες ἐμοὶ ἀπεδείκνυσαν παῖδα πατρὸς ἑωυτῶν ἕκαστον ἐόντα, ἐκ τοῦ ἄγχιστα ἀποθανόντος τῆς εἰκόνος διεξιόντες διὰ πασέων, ἐς ὅ ἀπέδεξαν ἁπάσας αὐτάς (2).

Κατέλεγον οἱ ἱρέες ἐκ βίβλου ἄλλων βασιλέων τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα οὐνόματα (3).

Jam vero quæ fuerint istæ defunctorum imagines de quibus Herodotus meminit, pluribus recenter inventis, nostratibus notum est. Earum usus usque ad dynastiam tertiam retrorsum attingit, et inscriptiones iis appositæ firmum chronologiæ suppeditant auxilium. Interdum tamen hæ inscriptiones non stelæ vel effigiei ipsi, sed monumenti parietibus

(1) Herod., *Histor.*, l. II, n. 77.

(2) *Ibid.*, n. 143.

(3) *Ibid.*, n. 100.

affixæ fuerunt, nomine proprio statuæ solum exsculpto. Exemplorum loco afferam effigiem scribæ *Hosi* IIIæ dynastiæ, *Amten* filii *Anub-m-anx* IVæ dynastiæ regnante *Snefru*, sacerdotis *Ti* Væ dynastiæ, regnantibus *Kaka-a, Nefer-ka-Ra, Usur-n-Ra;* etc. Præ cæteris memorandæ veniunt stelæ chronologicæ ex Serapæo, id est e sepulcro taurorum *Osar-hapi*, a Cl. Mariette extractæ, a dynastia XVIIIa usque ad Lagidas pertingentes.

Cæteroquin jam a tempore dynastiæ quartæ, sequentibus titulis plures in inscriptionibus exornantur :

Mur	*per*		*aa*	*per*	*sesha*
Præses	domus		magnæ,	domus	scripturarum;
neter	*an*	*n*	*tfef*		
sacer	scriba		patris-sui (1).		

Nec mirum proinde si de populo historicorum monumentorum tam curioso hæc potuerit asserere Diodorus, memoratis Ægypti regibus CDLXXV : Περὶ ὧν ἁπάντων οἱ μὲν ἱερεῖς εἶχον ἀναγραφὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἐκ παλαιῶν χρόνον ἀεὶ τοῖς διαδόχοις παραδεδομένας, ὁπηλίκως ἑκάστος τῶν βασιλευσάντων ἐγένετο τῷ μεγέθει καὶ ὁποῖός τις τῇ φύσει καὶ τὰ κατὰ τοὺς ἰδίους χρόνους ἑκάστῳ πραχθέντα (2).

Hinc Tatianus affirmare non dubitavit : Αἰγυπτίων δὲ εἰσιν αἱ ἐπ' ακριβὲς χρόνων ἀναγραφαὶ (3). Imo Græcos adhortatus, asserit istos edoctos fuisse ἱστορίας συντάττειν secundum αἱ παρ' Αἰγυπτίοις τῶν χρόνων ἀναγραφαί (4).

(1) De Rougé, *Recherches sur les monuments qu'on peut attribuer aux six premières dynasties*, Acad. des Inscr. et Belles-Lettres, t. XXV, p. II, p. 275, 290.

(2) Diodorus, *Biblioth.*, l. I, 44.

(3) Tatianus, *Or. adv. Græc.*, n. 32.

(4) *Ibid.*, n. 1.

Horum autem annalium cum ad nostram usque ætatem nonnullæ partes pervenerunt, inpræsentiarum his operam navare haud inutile erit, Manethuni enim fidem facient : nam regius historiographus certo scribere non poterat quæ fuissent aperto publicorum monumentorum testimonio redarguenda; insuper istorum documentorum ope ampla nobis erit copia explorandi utrum vera necne sacerdos Sebennyticus prodiderit.

CAPUT IV

Ægyptiacæ regum tabulæ.

Ex omnium confesso publica instrumenta a remotissima antiquitate in sacris ædibus et regiis tabulariis Ægyptii sedulo asservare soliti erant. Verum qui ægyptiacis studiis incumbebant, jamdudum talia documenta desiderabant, licet de iis veteres sæpius verba fecissent; nam opera plus minusve genuina, uti ea quibus tituli *Pœmander* et *Libri Sotheos* seu Trismegisti Hermetis, non tanti fiebant ut ex iis ad illustrandam historiam sive profanam, sive biblicam, quidquam opportune aut secure deduci valeret.

Nostra tandem ætate plurima monumenta in lucem prodiere quæ tum ad generalem ægyptiacarum gentium, tum ad propriam regum singulorum chronographiam multum conferre possunt.

Jam inter ea quæ ad historiam generalem spectare dicenda sunt, locum principem obtinet si minus propter utilitatem quam ex eo scientia percipit, at certe propter summam similium inopiam papyrus ex urbe in qua hodie asservatur, dicta *Taurinensis*. Quæ regnante rege *Ramessu-mei-Amen Ra-usur-ma-sotep-n-Ra* conscripta, uti ex computis qui aversa pagina leguntur, liquido

colligi potest; multa post sæcula anno MDCCCXXIV° a Juniore Champollion iterum in lucem producta; denique incuria ægyptiorum ruricolarum, ac nostratum præcipue, in particulas discerpta amplius ducentas; referebat tum immortalium, tum mortalium regum seriem ita ordinatam, ut unamquamque dynastiam summa regum et annorum exciperet.

At vero pluribus deperditis fragmentis ita ut CLXIV quæ nunc supersunt, valde difficulter recognosci ac suo cuique loco reponi valeant, vix ullam utilitatem aut commodum studiis nostris contulisse dicenda est papyrus ista Taurinensis (1).

Ex celeberrimo dei Amon adyto cujus exstant ruinæ loco nunc temporis dicto *Karnak*, olim vero Thebarum nomine insignito, Lutetiam translata fuit ædicula, dicta gallice « Chambre des Ancêtres », cujus in parietibus depictus est *Tahutmes Ra-men-*

(1) « Cet inappréciable trésor, manié par des mains inhabiles, » n'existe plus qu'en minimes fragments qu'il est le plus souvent im- » possible de rapprocher. D'une incomparable valeur s'il était entier, » le papyrus de Turin a donc perdu presque tout crédit, et on ne le » trouve que bien rarement cité dans les ouvrages qui traitent d'Égyp- » tologie. » Mariette, *Aperçu de l'histoire ancienne de l'Égypte*, p. 72.

« The fragments of the Turin « Papyrus of the Kings » after all the » care and labour bestowed on them by Seyffarth, Lepsius and Wil- » kinson, admitt still of so much variety of arrangement, that only in » a comparatively few cases can we compare with absolute certainty its » statements with those of Manethon. » G. Rawlinson, *History of Ancient Egypt*, t. II, append. A.

« Royal (Pap.) de Turin, manuscrit horriblement mutilé qui donnait » les noms des souverains mythiques et historiques de l'Égypte depuis » les temps les plus reculés jusqu'à Ramses II. Le déplorable état » dans lequel il se trouve n'a permis d'en tirer que fort peu de ren- » seignements. » P. Pierret, *Dict. d'Archéol. Egypt.*, p. 421.

Xeper, oblationes offerens non quidem singulis, sed tantummodo LXII e decessoribus suis, nescimus quo pacto præ cæteris electis. Licet ergo nobis non præsto sit completa series, facile tamen intelligitur monumentum istius generis quanti sit faciendum.

Tabula altera dicta *Abydena prior* — Britannico Londini Musæo hodie asservata, licet olim e ruinis ægyptiacæ civitatis *Abud* a nostratibus exstracta, — eodem *Ramessu-mei-Amen User-ma-sotep-n-Ra* auctore exsculpta fuit; in qua olim regum L nomina legebantur, nunc autem XXX tantum intacta præservata sunt. Sed Mariette, viro etiam ingenio meliore quam fortuna uso, contigit, ut tabulam alteram magis completam a *Seti meri-n-Ptah* erectam, in urbe eadem detegeret atque in lucem proderet, cujus ope prioris rimas feliciter explere valuit.

Denique tabula viculi *Saqqarah* nomine insignita, utilitatem nobis contulit maximam, sex prioribus dynastiis eodem fere modo quo in Manethuniano laterculo accurate et ordine traditis. Quam quidem rex nullus erexit, sed piissimus Mempheos antistes *Tunar-i*, in honorem regum LVIII quos præ cæteris colebat et quorum societate post mortem frui gestiebat.

Trium horum monumentorum, Karnaciani, prioris Abydeni et Saqqarini, ordines non quidem hieroglyphicis characteribus, sed nostris litteris expeditos, nunc transcribere juvat, quo facilius dehinc collatio cum fragmentis Manethunianis rite debito instituatur. Alteram tamen Abydi tabulam utroque charactere subjiciendam curabimus.

KARNACIANUS LATERCULUS

SEU

« Chambre des Ancêtres. »

PARIES SINISTER.

Tahutmes III stans.

. . . . . .	S nef ru	Sa hu Ra	An	Ases
. . . . . .	En tef	En tef	Men . . .	En tef

Tahutmes III stans.

	Ra Sotep het	Ra nub ka u	. . . . .	; . . . . . .
Ra ter ke	Ra sa qe nen	NeX t n Ra	Seser n Ra	Ra nub ter

PARIES MEDIUS.

. . . . . .	. . . . . .	Ra hem se men tet	. . . ke . . .	Ra S . . .	Ra s anX het
. . . . . .	Pe pi	Mer n Ra	Ra sha anX	Ra sotep	Ra s nef ru

Ra ma tu	Ra seb ek	En tef	Ra hem het sau	. . . . . .	. . . . . .
Ra neb hem	Ra s nefru ka u	Ra . . .	. . . . . .	. . . . .	. . . . . .

PARIES DEXTER.

Ra hem Xu teti	. . . . . .	Ra sha	Ra sha nefer	. . . . . .
Ra . . .	Ra seser te ti	Ra meri ka u	Ra meri hem	. . . . . .

Tahutmes III stans ac dona offerens.

Ra Xu te ti	Ra meri atep	Ra s n Ra	Ra . . . sa u	
Ra f . . .	S het n Ra	Ra s nefru	Ra . . .	

Tahutmes III stans ac dona offerens.

TABULA ABYDENA PRIOR.

S nefer ka annu	Nefer ka n Seb Pepi	. . . Nefer ka	. . . Nefer ka terer	. . . n ka	S nefer ka	Hor Meri n	Ra nefer ka kendu	Ra tat ka ma	Ra nefer ka nebi	. . . nefer ka	. . . Men ka	. . . Neter ka	. . . f . . .				

Mei Amun Rames su	Ra user ma sotep n Ra	Ra ma men	Ra mes su	Ra user sotep n Ra	Ra neb ma	Ra men Xeru	Ra na teru	Ra men ter	• Ra na n ter sa nefru teru	Ra na ter ka	Ra ser ka	Ra neb ros	Ra ma tu	Ra n ma	Ra sha ka u	Ra sha ter	Ra nub ka u



ALTERA TABULA ABYDENA.

	Rex utriusque regionis	Optimus deus																		
Rex Seti-Meri-n-Ptah Ma-men-Ra stans ac decessoribus incensum offerens.	Ptah Seti meri n	Ra Ma men		Me na	Te ta	A te ta	A ta	He sep ti	Me ribi pu	A ti	Ka bu hu	Bu ta u	Ka Ka u	Bin nu ter	Ut na s	Sen ta	Te ti	Neb ka	Sar sa	Te ta
	Princeps regis hæres Ramesses oblationes offerens.			Ra meri sem kaf	Ra nuter ka	Ra men ka	Ra nofer ka	Ra nofer ka nebi	Ra tat ka Sma	Ra nofer ka kendu	Hor meri n	S nofer ka	Ra n ha	Ra nofer ka terer	Hor nofer ka	Ra nofer ka senb Pepi	Ra nofer ka an nu	Ra . . . ka u	Ra nofer ka u	Hor nofer ka u
				Ptah seti meri n	Ra Ma men	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.
Se tes	Ra nofer ka	S ne fru	Ku fu	Ra tat f	R sa f	Ra Men kau	Ases ka f	Usur ka f	Ra sa hu	Ka ka a	Ra no fer	R usur n	Hor men kau	Ra tat ka	Un n as	Te ta	Ra usur ka	Ra Meri	Ra Meri n	Ra nofer ka
Ra nofer ka	Ra neb Xeru	Ra S anX ka	Ra S hotep het	Ra Xeper ka	Ra nub kau	Ra nofer Sha	Ra Sha hau	Ra n Mat	Ra ma kheru	Ra neb pehti	Ra Sar ka	Ra Xeper ka	Ra n Xeper	Ra men Xeper	Ra aa Xeper iu	Ra men Xeper iu	Ra Ma neb	Ra tse sar Xeper iu Sotep n Ra	Ra Men Pehti	Ra Ma men
R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.	P.	R.

TABULA SAQQARINA

depropmta e sepulchro Tunari antistitis.

Tunar-i stans reges Ægypti venerabundus.

Har men ka	Ra ma ka	Un na s	Pe P i	Ra nofer ka	Ra meri n	Ra nofer ka	Ra Sebek ka	Ra ma Xeru	Ra ma n	Ra Sha ka	Ra Sha Xeper	Ra nub ka	Ra Xeper ka	Ra S hotep ab	Ra S anX ka	Ra kheru neb	Ra neb pehti	Ra tsesar ka
Meri bi pen	Ka bu hu	Neter Ba iu	Ka ka u	Bai t noter iu	Ut nas	Sen ta	Ra nofer ka	Sokar nofer ka	. . . .	Be bi	Tse sar	Tse sar teta	Ra neb ka	Hu ni sar	S nef ru	Xu fuf	Ra tat f	Ra Sha u f

		. . . . . . n	. . . . . . men	. . . . . . ma	. . . Sotep n Ra
. . . . . .	Usur ka . . .	Ra netar u	Ra nefer ari ka	Ra ases ka	Ra Sha nofer

Prædictis monumentis alteram seriem chronographiæ intexendæ haud inutilem subjungendam ducimus : permultis enim documentis dies et anni principis eo tempore regnantis appositi fuerunt ; hæc vero sive testulis aut papyro inscripta, sive lapidibus excisa in templis, in sepulchris, imo in rupibus montium, ad religionem, res politicas aut privatas spectant; et licet valde diversa sint quæ hujusmodi monumentis nobis tradita fuerunt, ex iis generatim sequentia secure deducere possumus :

1° Memoratum in die apponenda regem minime esse e commentitiis historicorum narrationibus repetitum, sed reipsa regnum exercuisse : nam quomodo fieri potuisset ut ex industria, et ad confirmandas Manethunis assertiones, sepulturæ suæ curassent apponi inania fictitiorum principum nomina? Ea ratione perantiqui reges uti Cheops, Chephren et Mycerinus, jam non ablegantur ad fabulas, sed haud minus secure laudari possunt quam Alexander aut Philippus.

2° Principem cujus nomen inscriptione traditur, regnum reipsa obtinuisse in loco monumentis designato, aut saltem in ea parte Ægypti in qua monumenta hæc olim erecta fuerunt; namque etiam admissis aut concessis regum coætaneorum dynastiis, certo certius est unumquemque principem dominium alterius in diverso Ægypti tractu imperitantis ædibus, sepulturis ac templis neque voluisse exornare, neque potuisse. Hac via sæpe nobis incedendum erit, ad evertendum dynastiarum coævarum inane systema.

3° Quot annos unusquisque regnaverit ex iisdem concludere tuto valemus : errores enim qui documentis istius generis accidere solent, aut aliorum monumentorum ope facile corriguntur vel saltem deprehenduntur, aut neque tanti momenti neque tam frequentes supponi debent ut ab iis multum cavere debeamus. Hinc si in medium protuleris papyros quibus appositus est annus Ramessi regis quinquagesimus, aut stelam dei Apis anno decimo sexto regis Nechau insignitam, concludes istos totidem annis saltem regnasse, licet scriptores nonnulli contrarium asseruerint.

4° Data occasione, ex peculiari plurium documentorum natura alia quædam deducere poterimus, uti regales genealogias quæ plurimi semper faciendæ sunt ; nam ipsi reges patrem memorare non consueverunt, utpote filii dei Solis, seu Amen-Ra, quos proinde terrena generatio parum decebat. At sæpe ex genealogiis privatorum regum series nullo negotio possunt restitui, nemine tradere oblito quo regnante civilia aut bellica munia gesserit. Ea ratione ad dynastiam XII^am^ facilius recognoscendam ordinandamque multum contulit familia dicta « principum Meh », e loco ubi exercuerunt auctoritatem, et quorum sepulchra nuperrime explorata fuerunt, atque genealogia haud magna mole restituta ; ipsi enim patris nomine sunt gloriati, nedum eo erubuerint.

His omnibus prælibatis, candido ac cordato lectori jam concludere licet quam secure isto ægyptiacorum studiorum tramite incedere valeamus; etenim præter ægyptiacam gentem, nulla datur

quæ exordiis non solum tam antiquis, sed tanta certitudine attingendis merito gaudeat. Hinc vir eximii ingenii A. Mariette hæc scribere non dubitavit : « Il n'est pas de pays en dehors de l'Égypte,
» dont l'histoire puisse être écrite sur le témoignage
» d'un plus grand nombre de preuves vraiment
» originales. On trouve en effet des monuments
» égyptiens, non seulement en Égypte, mais
» encore en Nubie, au Soudan, et jusqu'à Bey-
» routh. A cette série déjà si nombreuse, il faut
» ajouter la quantité considérable d'objets antiques
» qui, depuis cinquante ans, sont passés en Europe
» pour y former les Musées que presque toutes les
» capitales possèdent. Enfin on comptera comme
» une source non moins abondante de matériaux à
» employer la collection conservée dans le Musée
» (du Caire) (1). »

« Le but que nous nous sommes proposé, subdit
» perbrevi at perutili monumentorum præcipuorum
» recognitioni idem clarissimus auctor, sera at-
» teint si, après les détails que nous venons de
» donner, le lecteur reste bien convaincu d'une
» chose : que l'histoire d'Égypte, si longue, si
» intéressante, si traversée d'accidents divers
» qu'elle soit, est une histoire vraiment digne de
» ce nom, et que nulle peut-être n'a pour elle un
» ensemble plus complet de preuves monumen-
» tales (2). »

Neque dissentire præsumit vir tanta modestia quanta scientia conspicuus, egregius professor Kau-

(1) Mariette, *Aperçu sur l'histoire ancienne d'Égypte*, p. 71.

(2) *Ibid.*, p. 109.

len : « (Es) ergibt sich, dass die Ægypter ein uraltes Culturvolk sind, für dessen ersten Herrscher » Menes die zahl 3892 v. Chr. als datum der » Thronbesteigung kaum mehr zu bezweifeln ist. » Seit dieser Zeit ist die Geschichte Ægyptens auf » Grund der Fragmente Manetho's mittels zahlreicher einheimischen Inschriften mit ziemlicher » Sicherheit festgestellt (1). »

(1) *Kirchenlexicon*, art. Ægypten, t. I, col. 262. Cf. ejusdem utilis ac de scientia catholica bene meriti *Kirchenlexicon* art. Chronologie, t. III, col. 319-320.

CAPUT V

Ex ægyptiacis monumentis Manethunis veracitas demonstratur.

His opibus instructi Manethunianos laterculos explorare aggredimur, ut luculenter appareat quam vera ægyptius sacerdos nobis tradiderit, ac proinde in chronologicis disquisitionibus quanti faciendum sit ejus testimonium. Sed quo felicius res nobis cedat, duo successive enucleanda suscipimus : scilicet quid sentiendum sit de singulis regibus a Manethune enumeratis, quid dein de dynastiis, utrum reipsa fuerint coætaneæ uti plurimi olim palam docuerunt, an vero successivæ, quemadmodum hodie nonnullis placere incipit : hoc modo certe provinciam nostram satis efficaciter tuiti erimus.

Attamen prior quæstio circa XXI tantummodo dynastias institui potest : nam cæterarum, uti ex tabellis superius propositis colligitur, aut Manetho nomina celavit, aut ejus abbreviatores, in hoc quidem minime laudandi, munus istud in se susceperunt.

Ex altera parte, trium primarum dynastiarum authentica monumenta hactenus non sunt reperta, licet istarum reges memorentur aliis monumentis

et quidem vetustissimis : quæ enim pro earum partibus tuendis producemus, sunt certo Exodo anteriora, imprimis Abydenæ tabulæ quarum scilicet altera a Ramesso II°, altera vero a rege Seti ejus patre descripta fuit et erecta.

Prima, secunda et tertia dynastia.

Quia hanc seriem eo ordine sese habuisse qualem exhibuit Manetho, sufficienter declaratur ex primis regibus a Seti principe successive recensitis, utrumque laterculum statim subjicimus :

Prima dynastia.

SERIES MANETHUNIS	SERIES ABYDENÆ TABULÆ
Menes	*Mena*
Athothis	*Teta*
Cencenes, vel secundum Eratosthenem Athothis	*Ateta*
Uenephes	*Ata*
Usaphædus	*Hesepti*, vel dialectice *Hesephthi*
Miebidus	*Meibipen*
Semempses	Signum hieroglyphicum hucusque non lectum; numquid respondere possit nomini (*Ra-hem-*) *sementet* seriei Karnacianæ, pariete medio?
Bieneches, forte ex Kebieches	*Kabuhu*

Secunda dynastia.

Boethus	*But'au*
Kœechus	*Kakau*
Binothris	*Binnuter*
Tlas	*Ut'nas* vel dialectice *Ut'las*

Sethenes	*Senta*
Chœres	....*ka* (in pap. Taurinensi, sed a cæteris monumentis rex iste abest).
Nefercheres	*Nofer-ka-ra* } ex tabula Saqqarina et papyro Taurinensi.
Sesochris	(*Nofer*)-*Sokari*
Cheneres	*Hutefa*
	Bebi hoc loco legitur in tab. Saqq.; cujus loco tab. Abyd. exhibet *T'et'i.*

Tertia dynastia.

Necherophes, forte Nephecheres	*Neb-ka-ra*
Tosorthrus	*Tsesar*
Tyris	Nullus ei respondet in laterculis : hujus loco ponitur mox secuturus Tsesarteta.
Mesochris	*Nofer-ka-ra*
Soyphis	*Setes*
Tosertasis	*Tsesarteta*
Aches	*Huni* ex papyro Taurinensi et Saqqarina tabula
Sephuris	*Snefru*
Cerpheres	?

Jam hæc legebantur anno circiter septuagesimo ante Exodum, imperante rege *Seti-meri-n-Ptah,* patre *Ramessu-usur-ma-sotep-n-Ra* qui annos LXVII regnavit, et avo regis *Meri-n-Ptah-hotep-hi-ma,* cujus cor Dominus induravit ne dimitteret populum.

Perspecta autem horum laterculorum remotissima antiquitate, statim auctoritas minime contemnenda iis adjungitur ; etenim si tempore Seti regis nonnisi XII aut XIII generationes a diluvio elapsæ erant, uti asserunt qui nimis presse Bibliæ

litteram sequuntur, numquid in tantillo annorum tractu commodum erat Ægyptiis reges fere tercentos fingere, uti in Manethune legimus, aut etiam centum et sexaginta quorum nomina ex anaglyphis ante Mosaica tempora exsculptis, a recentioribus rerum ægyptiacarum peritis collecta sunt? Quonam de consilio fraudem adeo exsecrandam moliri ausi essent veteres, qua ratione feliciter sibi cessuram sperassent, cum recens temporum memoria tale facinus nullo negotio manifestasset? Neque causanda istorum sæculorum ignorantia : nonne Moyses edoctus est *Sapientiam Ægyptiorum?* nonne doctissimos aut peritissimos indigitant monumenta uti pyramides et *mastaba*, quæ mechanicis aut architectonicis artibus, imo pictura, luxuria, necnon et inscriptionibus, etiam nostratibus admirationem movent?

Minime ergo rudes erant tunc Ægyptii; sed nec minime recentes; numquid enim e nihilo aut in temporis momento exortæ hæ artes, pictura, sculptura, auri fabricatio, scripturæ hieroglyphicæ inventio, etc., etc.? Quæ ratio tanto robore gaudet ut ea ducti ipsi Manethunis osores una cum doctissimo cæteroquin ac prudentissimo G. Rawlinson, quasi desperati fateantur Ægyptiacum populum multo tempore ante Snefru regem dynastiæ tertiæ aut quartæ, exstitisse, imo diversis artibus excultum floruisse (1). Quos sequere, si lubet : tolle Manethunis nomina, aut si potes meliora prome; sed simul tempora et sæcula nobis concede.

(1) G. Rawlinson, *History of Ancient Egypt*, t. II, p. 32.

At ex his nominibus invisis non ita facile temetipsum expedies : non solum nota erant tempore Moysis, sed et tunc jam uti perantiqua ventilabantur, imo non quibant ab omnibus publicis inventionibus ullo pacto separari. Libri funerarii cui vulgo nomen *Todtenbuch*, capita omnium vetustissima, scilicet LXIV^um^ et CXXX^um^, a tempore *Hesepti* regis repetebantur (1); alia vero papyrus his verbis regnante Ramses II, inscribebatur : « Initium remediorum ad lepram curandam : repertum in vetustissima papyro, scrinio inclusa, sub pedibus dei *Anup*, in urbe *Sochem*, tempore regis *Hesepti* defuncti. Post ejus mortem oblatum est regi *Senta* (2). » Exhinc concludere licet reges istos uti perantiquos rei litterariæ auctores jam sæculo ante Christum natum decimo sexto habitos fuisse. Imo in opere a principe *Ptah-hotep* conscripto, regnante dynastia quinta, necnon et in libello *Kaqimnœ* scripto, ut fertur sub dynastia tertia, sub duodecima autem transcripto, jam memorantur reges *Huni* et *Snefru*.

Quin amplius iste *Snefru*, græce *Sephouris*, nonnulla authentica monumenta reliquit : etenim in valle Sinaitica, cui nomen *Wadi-Magarah*, seipsum Asiatici caput elidentem rupibus exsculpendum curavit, cui superscriptum :

Snefru	*neter*	*aa*	*ta*	*setiu*
Snefru	deus	magnus	elidens	regiones;

(1) De Rougé, *Monuments des six premières dynasties égyptiennes*, Mémoires de l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres, t. XXV, p. 251.

(2) Brugsch, *History of Egypt*, t. I, p. 58.

ex adverso autem legitur ejusdem regis auspicatissimus titulus

neb	*mat*
dominus	justitiæ.

Uxoris ejus *Mertitfes* sepulchrum nuperrime aperuit Mariette; quæ regina hoc pacto laudatur : « Uxor regis quem diligit, magna uxor regis Snefru, magna uxor regis Xufu. » Eodem loco *Gizeh* dicto, inventa sunt sepulchra *Nefert-kau* « filiæ magnæ regis Snefru », et *Nefer-ma*, ejusdem filii. Plura nunc addere tædet ex iis quæ ad eamdem ætatem ex inscriptionibus referri debent.

Nonnulla tamen producere juvat quæ etsi nullo regis nomine sunt insignita, tempore vel magis remoto erecta sunt : lingua enim ac stylus inscriptionum, litterarum forma, arsque sculpendi crassior, necnon et inusitatus vultus humani habitus aperte produnt ea esse Snefru et coætaneis multo antiquiora. Inter hæc primum locum obtinent Saqqarina pyramis, formam chaldaicorum templorum satis accurate referens, eumdemque lapidum cultum; sepulchrum *Tahut-hotep*, et *Sepa*, ejusque familiæ imagines; dein scribæ *Hosi* tympana. « Les hiéroglyphes et les figures, inquit Mariette » cui concinunt Maspero, Lenormant, de Rougé, » imo ipse G. Rawlinson, sont en relief plus vi- » goureux qu'ils ne le seront par la suite. Les » figures sont trapues, ébauchées à grands coups » plutôt que finies. Les hiéroglyphes sont comme » en désordre ; les formes inconnues et inusitées y

» abondent ; ils sont lourds, espacés, gauchement
» ajustés. On n'a pas su les proportionner les uns
» avec les autres, ni avec les figures qui les accom-
» pagnent. Les personnages ont la paupière infé-
» rieure bordée d'une bande verte. En ce qui
» regarde la langue et l'écriture, on n'en saurait
» trop rien dire, vu le petit nombre d'exemples
» dont nous disposons ; cependant certaines for-
» mules, qui bientôt seront banales, semblent être
» inconnues. La phraséologie est brève ; il y a un
» moins fréquent usage du phonétisme. Les
» charges attribuées au défunt sont souvent pro-
» pres à cette époque et intraduisibles. Tout dans
» l'écriture, aussi bien que dans la sculpture,
» présente quelque chose qui dépayse l'œil (1). »

Talium monumentorum, vetustate obsoletorum, sed nostris temporibus a clarissimis et eruditissimis viris in lucem restitutorum, crescit in dies numerus, ita ut mox testes omnium regum ab ætate Menæ audiri aut legi poterunt : hinc, nisi velis diluvium mosaicum modo prorsus inaudito restringere, aut etiam e medio tollere et ad mythos ablegare, quod a nobis et ab omnibus vere catholicis viris avertat Deus ! necesse erit ut tempora diluvium proxime consecuta latius patere concedas.

(1) Mariette, *Sur les tombes de l'ancien Empire,* p. 13 ; Maspéro, *Histoire ancienne,* p. 59 ; Lenormant, *Histoire ancienne,* t. II, p. 63 ; G. Rawlinson, *History of Ancient Egypt,* t. II, p. 32-45.

Quarta, quinta et sexta dynastia.

Eodem modo procedendum ducimus quo tres anteriores attigimus dynastias : expositis enim Manethunis laterculis, describemus regum ægyptiorum progeniem cui authentica monumenta hucusque reperta aut saltem eorum præcipua subjiciemus.

Quarta dynastia.

Soris	?
Suphis	*Xufu*, al. *Xufuf*
Suphis alter, cui nomen Cephren apud Eusebium	*Shafra*
Mencheres	*Men-kau-ra*
Rathœses ; interverso ordine, is ponitur tertius in laterculo Abydeno.	*Ratatef* : sæpe pro Ægyptiorum *f*, Manetho posuit græcorum Σ ; cf. infra Sebercheres, Usercheres, etc.
Bicheris	?
Sebercheres	*Shebs-ka-f*
Thampthis	?

Quinta dynastia.

Usercheres	*Usur-ka-f.*
Sephres	*Sahu-ra*
?	*Kaka*
Nepercheres	*Nefer-ka-ra*
Sisires	?
Chæres	*(Shebs)-ka-ra*
Rathures	*Ra-n-usur An*
Mencheres	*Men-kau-Hor*
Tacheres	*Tat-ka-ra- Assa*
Onnus, al. Unus	*Unas*
?	*Teta*

Sexta dynastia.

Othoes	*Ati Usur-ka-Ra*	
Phius	*Pepi Meri-Ra*	
Methesuphis	*Meri-n-Ra*	quorum ignotum nomen proprium
Phiops	*Nofer-ka-Ra*	
Menthesuphis	*Meri-n-Ra*	
Nitocris	*Neit-aqer* in papyro Taurinensi.	

Xufu, græce Suphis vel Cheops, non solum celeberrimam ædificavit *Gizeh* Pyramidem, in cujus cubiculo, pro more regum Ægyptiorum, nomen suum exsculpsit, sed etiam plurima reliquit monumenta, præsertim circa pyramidem hanc, uti aiunt, maximam. Ibi enim, præter sepulturam *Mertitfes* reginæ quam, defuncto Snefru, uxorem duxerat, suorum sepulcra condidit, scilicet :

Mer-het, filii sui et antistitis,
Shaf-hotep, filii sui et ædium instructoris,
Shaf-Xufu, filii sui, et dei Apis pontificis,
Ka-ab et *Khem-tat-ef*, filiorum,
Henuts filiæ,
Meri-s-anX, filiæ simul et uxoris.

E cæteris vero, stelam *Wadi-Magarah* commemorare juvat, eodem fere pacto erectam quo Snefru suum condiderat monumentum, ut Asiaticas gentes simul moneret atque terreret.

Regum *Shafra* et *Men-ka-ra,* græce Cephren et Mycerini, sepulcra et imagines, arte prorsus miranda exsculpta ad nos usque pervenerunt, necnon et sepulturæ reginæ *Meri-s-auX* ac filiorum ejus *Neb-m-aXut*, et *S-kem-ka-Ra* — qui *Shafra*, *Men-kau-Ra*, *Sebs-ka-f*, *Usur-ka-f*, et *Ṣahu-Ra*

regibus successive percarus fuit, uti ex ejus inscriptione colligitur. Cætera horum monumenta, causa brevitatis, omittimus.

Ratione haud absimili regibus *Kaka*, *Nefer-ka-Ra*, *Ra-n-user* adhæsit *Suten-ReX Ti*, cujus sepultura nihil præstantius Vetus Imperium exhibere potest.

Men-kau-Hor, qui post *Sahu-Ra* regnum obtinuit, usque ad Sinaiticam regionem monumenta sua produxit : cujus optima effigies hucusque asservata est. Tribus sequentibus *Tat-ka-Ra-Assa*, *Unas*, et *Teta* fideliter servierunt, ut ex inscriptionibus sepulturæ appositis palam fit, *Assa-anX suten se* (filius regis), *Snotem-het* et *Ptah-ases*

ases	*Xer*	*suten*	*er*	*bak*	*neb*
dilectus	a	rege	super	servum	omnem.

Quidam e regiis pueris, *Una*, diversis muniis functus est regnantibus *Teta*, *Pepi* et *Meri-n-Ra* quorum res præclare gestas copiose enarrare non omisit. Istorum principum cæteroquin plurima monumenta adhuc exstare notum est, necnon et sequentis *Nefer-ka-Ra* et matris ejus *AnX-nes-meri-Ra*. Reginæ vero Nitocris nomen nonnisi Taurinensi papyro inscriptum hucusque repertum est, sub ægyptiaca forma *Neit-aqer*.

Septima, octava, nona, decima et undecima dynastia.

Hic vero posuit Manetho dynastias VII^{am}, VIII^{am}, IX^{am}, X^{am}, et XI^{am}, nulla tamen regum nomina tradidit.

Numquid dynastiæ istæ sint mera phantasiæ figmenta, quemadmodum multi rerum ægyptiacarum parum periti asseruerunt? Numquid hac fraude voluit sebennyticus sacerdos laterculos suos plus æquo conflare et protrahere? Attenta ejus veracitate in cæteris dynastiis, tale quid injuste præsumeretur : qui enim semper verax nobis apparet in his quæ explorare possumus monumentorum testimonio, quanam de causa aut quo jure mendacem diceremus aut suspicaremur, deficientibus hodie monumentis quæ, habita ratione sæculorum ab eorum erectione elapsorum non defecisse, sed potius superesse mirandum est.

At minime eo angustiarum adducimur ut meris præsumptionibus inniti debeamus : etenim quæ supersunt VIæ et XIIæ dynastiæ monumenta ex ipsa artis in iis elucentis indole, aperte ostendunt atque indigitant nonnulla intercessisse sæcula : nam duodecima ita supereminere sextæ deprehenditur, ut nonnisi artis parum gnarus utramque conjungere audeat, cum inter illas plus detur certe discriminis quam sextam inter et tertiam.

Imperante enim duodecima dynastia, jam templa, sepulchra et scriptura, diversam omnino speciem præ se ferunt; obelisci, regalesque sphinges erigi ædesque sacras exornare incipiunt; imo ipsa humani corporis forma vix eadem esse reperitur. His adde isto temporis tractu mutatam imperii sedem, mutatam ipsam religionem : deus *Amen* diis prioribus *Ptah* et *Osiri* præponitur sub peculiari dei *Khem* forma exhibitus; deæ *Nephtis* et *Isis* defunctorum corpora alis suis fovere incipiunt, etc., etc.;

ipsæ mortuorum arcæ ita a primævis differunt ut nullo negotio, etiam non lectis hieroglyphicis inscriptionibus, earum ætas statim dignoscatur.

Verum ulterius procedere licet; quæ enim tacuit Manetho regum nomina, hæc monumentis incipiunt prædicari. Jam ex laterculis superius relatis, reges triginta illis assignandi temporibus nobis præsto sunt, quos inter quinque authenticis monumentis sese nuper prodiderunt. Fatemur priores Thebæos non quidem regum, sed modestiores *erpa* et *hor*, id est principum ducumque titulos sibi vindicare, unde concludimus exortam esse hanc dynastiam minuta, sed nondum exstincta Heracleopolitanorum suprema potestate; qui autem noverit diversas fuisse utriusque dynastiæ sedes, tale quid contigisse minime mirabitur.

Igitur ex monumentis variis laterculum hunc colligimus :

Memphitarum et Heracleopolitanorum		Thebæorum
Neter-ka-Ra	*Nefer-ka-Annu*	*Entef erpa*
Men-ka-Ra	*Nefer-aau-Ra*	*Monthu-hotep*
Nefer-ka-Ra	*Nefer-kau-Ra*	*Entef hor*
Nefer-ka-Ra-Nebi	*Nefer-kau-Hor*	*Entef*
Tat-ka-Ra	*Nefer-ka-Ra.*	*Entef*
Nefer-ka-Ra		*Entef-aa*
Meri-n-Hor		*Seshesch-her-hi-ma Entef*
Snefer-ka		*Snefer-ka-Ra Monthu-hotep*
Ra-n-ka		*Nub-Xeper-Ra-Entef*
Nefer-ka-Ra Rerer		*Neb-taui-Ra Menthu-hotep*
Nefer-ka-Hor		*Neb-khera-Ra-Menthu-hotep*
Nefer-ka-Ra Pepi-senb		*S-anX-ka-Ra Amoni.*

Duodecima dynastia.

Manethunis	Abydenæ tabulæ
Amen-emes	*Amen-m-hat Ra-s-hotep-het*
Sesonchosis	*Usur-tesen Xeper-kâ-Ra*
Amenemes	*Amen-m-hat Nub-kau-Ra*
	Usur-tesen Sha-Xeper-Ra
Sesostris	*Usur-tesen Sha-kau-Ra*
Labaris Ammeres	Unum eumdemque esse æstimo, scilicet *Mat-n-Ra Amen-m-hat*, cui cognomen forsan Labaris ex labyrintho *lo-pe-ro-hunt* quem ædificavit.
Amenemes	*Amen-m-hat Ma-Xeru-Ra*
Scemiophris	*Sebek-nofriu-Ra*, cujus nomen tabula Abydena omissum, pluribus tamen proditum est monumentis.

Cur in hac dynastia Usur-tesen græce reddatur Sesonchosis vel Sesostris, nullam certam rationem afferre possum : crede, si lubet, isto nomine alioquin Græcis jam noto uti ex Herodoto colligitur, illos a Manethune insignitos fuisse propter possessiones Ægypti adauctas, et subactos ea ætate ingentes circumjacentium nationum tractus.

Amen-m-hat I° et *Usur-tesen I°* successive servivit erro quidam nomine *Sineh* cujus historia percelebris. Utriusque insuper alia monumenta exstant, e quibus duo seligimus subjicienda :

Anno XXIX° regis Amon-m-hat semper viventis, venit huc ad debellandos Uauat (*scilicet in locum cui hodie nomen Korosko*).

Horus vivificans omnes natos, rex utriusque regionis, Xeper-ka-Ra, dominus diadematum vivificans omnes natos, filius Solis Usur-tesen, spiritibus Heliopoleos carus, semper vivens, vivificans natos, Horus

aureus, deus optimus Xeper-ka-Ra, panegyria anni trigesimi hoc fecit semper vivificus. (*Textus obelisci Heliopoleos.*)

*Amen-m-hat II*us anno vigesimo quarto erexit stelas in *Wadì Magarah* et *Sarabit-el-khadim,* imo alias quibus appositus legitur annus ejusdem principis trigesimus octavus. *Nem-hotep* qui tunc necnon et tempore *Usur-tesen II*i rebus regiis præfuit, in percelebri spelunca cui nomen ex Filiis Hassan, sepultus est.

*Usur-tesen III*i annus trigesimus sextus monumentis commemoratur; sequentem tamen inscriptionem referre malumus :

Terminus meridiem versus, anno VIII° regis utriusque regionis Shakau-Ra Usur-tesen, semper vivificantis : ne Æthiopes transeant ...nisi boves, capras Æthiopum advehant.

*Amen-m-hat III*us præter stelam cui appositus annus XLIIIus, et ruinas Labyrinthi aggerumque Mœridis lacus, in loco dicto *Semneh* scalam exculpsit ad metiendam Nili altitudinem quo facilius aquas distribuendas moderaretur.

*Amen-m-hat IV*i ejusque sororis *Sebek-Nofriu-Ra* non ita communia vestigia dixeris : prior tamen memoratur in tumulo Usur-tesen et Sebekhotep (1); alterius nomen in provincia Mœridis vulgo *Fayum* (*Pa-ium*, mare) pluries repertum fuit.

Decima tertia, quarta, quinta et sexta dynastia.

De dynastiis XIIIa, XIVa, XVa, et XVIa, idem fere dicendum quod de VIIa, VIIIa, IXa, et Xa dy-

(1) De Rougé, *Notice des monuments du Louvre,* 1875, p. 76.

nastiis : istorum regum nomina quæ silentio pressit Manetho, monumenta in lucem prodiderunt. Hucusque enim laterculi a dynastia decima septima ad decimam nonam conscripti hoc loco nomina plus quam octoginta reponunt, eo minus suspectæ fidei quo eorum ætas ad dynastiam XVII[am] propius accedit; regum quidem plurium monumenta desiderantur, at nonnullorum vestigia jam reperta sunt tum in superiori cum in inferiori Ægypto, pauca sane, sed quorum numerus in dies nonnisi crescere potest (1).

Horum principum varia nomina e laterculis Abydenis et Karnacianis, necnon e pluribus fragmentis papyri Taurinensis nota sunt. Ex istis regibus plures sine dubio, atque imprimis ultimi, regnaverunt quo tempore Ægyptus a Pastoribus invadebatur : imo ea regio immunis minime erat a publicis perturbationibus, ita ut vix dubium sit quin interdum alii regni invasores potestatem tenuerint in distantibus regionibus, legitimo rege urbem præcipuam ditione retinente; pariter accidere potuit ut singulorum nomina in laterculis posita fuerint ficto successionis ordine; verum e consueta Manethunis in recensendis dynastiis superioribus ἀκρίβεια facile adducimur ne hac concessione plus æquo utendum ducamus : ad minimum ex octoginta, sexaginta retineamus necesse est. Horum principum hucusque repertorum nomina subjiciemus :

Khu-taui-Ra Sebek-hotep
Sekem-ka-Ra
Ra-Amen-m-hat
Shotep-ab-Ra
Aufui
SanX-ab-Ra

(1) Mariette, *Aperçu*, p. 84.

Smen-ka-Ra
Shotep-ab-Ra
— *ka-Ra*
Netem-ab-Ra
Ra-Sebek-hotep
Ra-n-Sneb
Autu-ab-Ra
Stesef — Ra
Sekem-khu taui-Ra Sebek-hotep
Usur — Ra
Smonth-ka-Ra Mer-meshu
— *Ka-Ra*
— *user-ser*
Sekem-s-uts-taui Sebek-hotep
Kha-sechech-Ra Nefer-hotep
Sa-Hator-Ra
Kha-nefer-Ra Sebek-hotep
Kha-ka-Ra
Kha-anX-Ra Sebek-hotep
Kha-hotep-Ra Sebek-hotep
Uah-ab-Ra Aa-ab
Mer-nefer-Ra Ai
Mer-hotep-Ra
SanX-nef-Ra Utu
Mer-seXem-Ra Anran
Sut-ka-Ra — u Ra
Amen-m-Ra
Mer-Xeper-Ra

Mer-ka-Ra
— — *mes*
— *ma-Ra-Aba*
— *uben-Ra*
— *Nahasi-Ra*
Kha-kheru-Ra
Neb-f-autu-Ra
Sheb-Ra
Mer-tefa-Ra
Sut-ka-Ra
Neb-tefa-Ra
Uben-Ra
— *tefa-Ra*
— *uben-Ra*
Utu-ab-Ra
Her-ab-Ra
Neb-sen-Ra
SXeper-n-Ra
Tat-kheru-Ra
SanX-ka-Ra
Nefer-tum — Ra
SeXem — Ra
Ka — Ra
Nefer-ab-Ra
— *Ra*
Kha-Ra
Nut-ka-Ra
Smen —

Decima septima, octava et nona dynastia.

Dynastia Pastorum, decima quinta ex Africano, decima septima secundum Eusebium :

Saïtes	*Set-aa-pehti* ex monumentis
Anon	*Annub* } ex papyro Taurinensi
Apachnas	*Ap.....* } ex papyro Taurinensi
Staan	?
Archles	?
Apophis	*Apapi*, ex papyris et monumentis.

Decima octava dynastia.

Manethunis	Tabulæ Abydenæ
Amos	*Ah-mes neb-pehti-Ra*
Chebron	?
Amenophis	*Amen-hotep tsesar-ka-Ra*
Misphris	*Tahut-mes aa-Xeper-ka-Ra*
Misphragmuthosis	*Tahut-mes aa-Xeper-n-Ra*
	Hatasu Ma-ka-Ra
Tethmusis	*Tahut-mes men-Xeper-Ra*
Amenophis	*Amen-hotep aa-Xeper-Ra*
Acheres	*Aa-Xeper-Ra*
Rathos	*Tahut-mes men-Xeper-Ra*
	Amen-hotep neb-Ma-Ra
	Aa-nofriu-Ra Khu-n-aten
Chebres	(*Neb-*) *Xeper-Ra*
Acherres	*AnX-Xeper-Ra*
Armesses	?
Horus, loco paulisper mutato;	*Hor-m-heb-mei-Amen*
Ramesses	*Ramessu men-pehti-Ra*
Amenophath	?

Decima nona dynastia.

Sethos	*Seti-meri-n-Ptah men-ma-Ra*
Rampses	*Ramessu-mei-Amen usur-ma-sotep-n-Ra*
Amenephthes vel Menephtnes	*Mei-n-Ptah-hotep-hi-ma Bai-n-Ra-mei-Amen*
Amenemes	*Amen-messu-hiq-An men-sha-Ra-sotep-n-Ra*
Thuoris regina	*Mei-n-Ptah-si-Ptah Xu-n-Ra* et *Ta-usur* regina
?	*Seti-mei-n-Ptah Ra-usur-Xeperiu-mei-n-Amen.*

Set-aa-pehti-Nubti Pastoris memoriam prodidit stela cui cognomen *stèle des 400 ans* (1). *Annub*

(1) *Aperçu*, p. 87. — *Records of past*, t. IV, p. 33.

et Ap... nonnisi papyro Taurinensi celebrantur uti supra monuimus; *Apapi* vero plura monumenta multis in locis videre est, præsertim ea quæ sphingis cui leonis caput imaginem referunt (1). *Aah-mes*, *Amen-hotep I*ⁱ, et *Tahut-mes I*ⁱ successio ex inscriptione *Aah-mes* nautæ nullo negotio colligitur : is enim nauta tribus istis regnantibus stipendia meruit.

*Tahut-mes II*ⁱ, *Hatasu*, *Tahutmes III*ⁱ eadem ratione successio colligitur ex sepulcrali *El-Kab* inscriptione. Istorum ac sequentium adeo frequentia sunt monumenta ut ea enumerare prorsus inutile evadat : quæ vide si lubet in pervulgatis de Rougé et Mariette operibus (2).

En tamen patrum et avorum Ramessi IIⁱ seriem quorum statuæ processionaliter delatæ parietibus templi cui nomen Ramasseum pictæ sunt : XII ultimos tantum exscribere placet, incipiendo ab ipso rege qui stans exhibetur :

Ra-usur-ma-sotep-n-Ra	(Ramessu II)
Ra-men-Ma	(Seti)
Ra-men-pehti	(Ramessu I)
Ra-tsesar-Xeperiu sotep-n-Ra	(Hor-m-heb, Horus)
Ra-ma-neb	(Amen-hotep III)
Ra-men-Xeperiu	(Tahut-mes IV)
Ra-aa-Xeperiu	(Amen-hotep II)
Ra-men-Xeper	(Tahut-mes III)
Ra-aa-Xeper	(Tahut-mes II)
Ra-aa-Xeper-ka	(Tahut-mes I)
Ra-tsesar-ka	(Amen-hotep I)
Ra-neb-pehti	(Ahmes)

(1) *Ibidem;* vel Lenormant, *Histoire ancienne*, t. II, p. 153.

(2) Mariette, *Aperçu*, passim; de Rougé, *Notice des monuments du Louvre;* etc.

Duorum nomina huic desunt seriei, scilicet *Hatasu* reginæ, et *Amen-hotep IV*^{i} *khu-n-Aten*, prioris quia regnum contra fas et detrimento Tahut-mes III^{i} fratris invasit, alterius vero quia loco Amen-Ra, deum Aten colere fuit solitus : hinc e propriis monumentis sæpe utriusque nomen malleo deturpatum fuit atque deletum.

Ex simili agmine avorum (1) Ramessi III^{i}, sub initio dynastiæ sequentis imperium adepti, ultima nomina depromimus quorum ope ita laterculum dynastiæ complere licet :

Ra-usur-ma meri-amen	(Ramessu III hiq An)
Ra-usur-shau-meri-amen	(Set-nekht)
Ra-usur-Xeperiu-meri-amen	(Seti II)
	Hos intra, monumenta ponunt *Se-Ptah-mei-n-Ptah* una cum regina *Ta-user* (2), et regni invasore cui nomen *Amen-mes-su-hiq-Uas*.
Bai-n-Ra-meri-amen	(Mei-n-Ptah)
Ra-usur-ma-sotep-n-Ra	(Ramses II).

Jam dynastia decima nona ab omnibus hodie agnoscitur uti Ægyptiaca Hebræorum servitute necnon et liberatione illustrata : ea ætate igitur quid commune deprehendere possumus inter biblicam et ægyptiacam chronologiam, rationibus adeo evidentibus ut auctores omnes hac de re consentiant : vix commemorare necesse est de Rougé, Mariette, Chabas, Maspéro, Lenormant, Lepsius, Brugsch,

(1) E *Medinet-Abu*, in Wilkinson *Ancient Egyptians*, t. III, pl. LX.

(2) Cf. sepulcralem stelam apud Lenormant, *Histoire ancienne*, t. II, p. 295.

Ebers, Eisenlohr, Wilkinson, Sayce, G. Rawlinson, etc. (1).

Igitur cæteras Manethunis dynastias, quia ad propositum nostrum minus spectant, breviter percurremus; atque ut verbis ejus fidem faciamus, varia per dynastias singulas regum nomina, quemadmodum ex monumentis authenticis collecta sunt, subjicere satis erit.

Vigesima prima dynastia.

Smendes	*Si-Menthu-mei-Amen Nuter-Xeper Ra-sotep-n-Ra.*
Psusennes	*P-siu-n-kha-mei-Amen Aa-Xeper-Ra-sotep-n-Amen.*
Nepercheres	?
Amenophthis	*Amen-m-kha-mei-Amen Usur-ma-Ra-sotep-n-Ra.*
Osochor	?
Psinaches	?
Psusennes	*P-siu-n-Kha-mei-Amen Uts-hiq-Ra-Hor.*

Vigesima secunda dynastia.

Sesonchis	*Sheshenq-Mei-Amen Uts-Xeper-Ra-sotep-n-Ra.*
Osorthon	*Osorkon-Mei-Amen Khem-Xeper-Ra-sotep-n-Ra.*
ἄλλοι τρεῖς	*Tha-kloth-mei-Amen-se-Isi Uts-Ra-sotep-n-Amen-nuter-hiq-An.* *Osorkon-mei-Amen-se-Bast User-ma-Ra-sotep-n-Amen.* *Shishenq-mei-Amen SeXem-Xeper-Ra-sotep-n-Amen.*
Tacellothis	*Tha-kloth-mei-Amen-se-Isi Uts-Xeper-Ra-sotep-n-Amen.*

(1) Cf. Vigouroux, *la Bible et les découvertes modernes*, 5e édition, t. II, p. 250-263.

ἄλλοι τρεῖς	*Sheshenq-mei-Amen-se-Bast*
	Usur-ma-Ra-sotep-n-Amen.
	Pi-mai-mei-Amen
	Usur-ma-Ra-sotep-n-Amen.
	Sheshenq-mei-Amen
	Aa-Xeper-Ra.

Vigesima tertia dynastia.

Petubastes	*Pet-se-Bast*
	Sahura-Ra.
Osorchon	*Osorchon-mei-Amen-Ra*
	Aa-Xeper-Ra-sotep-n-Amen.
Psammes	*P-si-mut*
	User-Ptah-Ra-sotep-n-Ra.
Zet	*Seti*
	Ra-men-Xeper.

Vigesima quarta dynastia.

?	*Ta-f-neXt.*
Bocchoris	*Bok-n-ran-f*
	Nah-ka-Ra.

Vigesima quinta dynastia.

Sabacon	*Sha-ba-ka*
	Nefer-ka-Ra.
Sebichus	*Sha-ba-to-ka*
	Tat-kau-Ra.
Taracus	*Taharqa*
	Nefer-Tum-Xu-Ra.

Vigesima sexta dynastia.

Stephinates	?
Nechepsos	?
Nechao	*NiXu* ex inscriptionibus assyriis.
Psammetichus	*Psametik*
	Uah-ab-Ra.
Nechao	*Neko*
	Uah-m-ab-Ra.

Psammuthis	*Psametik*
	Ra-nefer-het.
Uaphres	*Uah-ab-Ra*
	Ra-aa-ab.
Amosis	*Ahmes-se-Net*
	Ra-nem-ab.
Psammecherites	*Psametik*
	Ra-anX-ka-n.

Quinque dynastiæ reliquæ potius ad imperium Persarum quam ad Ægyptiacam monarchiam pertinent : earum historia potius ergo a Græcis auctoribus aut persicis inscriptionibus, quam ab Ægyptiis requirenda est, ac proinde hic nobis omittenda videtur.

Ex iis omnibus quæ hucusque pertractanda fuerunt, quam dignus fide fuerit Manetho et quam accurate nobis vetera Ægyptiorum documenta prodiderit, in aperto concludi potest. Nunc vero ulterius procedendum, et quia plures autumant tot reges continua serie regnum obtinere non potuisse, propter arctissimos præsertim biblicæ chronologiæ fines quibus a diluvio ad Moysen usque generationes tantummodo sexdecim perstringuntur, in præsentiarum quærendum est qua ratione quæstio hæc enucleari valeat, utrum veterum more qui sexcentos hos reges intra generationes istas sexdecim coacervare nitebantur, an recentiorum placitis qui biblicas generationes uti numero abbreviatas accipiunt.

CAPUT VI

Dynastias Manethunis fuisse successivas, argumento negativo probatur.

Nemo unquam circa Ægyptiorum dynastias eamdem quam circa biblicas genealogias quæstionem instituit, scilicet num plures silentio fuerint prætermissæ, licet tamen certum videatur multo tempore ante regem *Mena* Ægyptios imperium exercuisse, ætate quam vocitabant *Sheshu-Hor*, seu servorum Hori.

Verum, attentis plurimis sæculis quæ hujusmodi monarchia sibi vindicat, id unum quæsitum est, utrum e tot dynastiis plures fuerint coætaneæ, an contra perpetua successione regnum singulæ obtinuerint. Intricatam sane quæstionem, sed consectariis gravissimam, ac plane dignam quæ fusius evolvatur. Qualis fuerit hujus controversiæ status, jam ex iis quæ antehac edisseruimus, notum est; qua autem ratione instituta quæstio solvenda sit, dilucide, uti speramus, exponendum nunc suscipimus.

Minime negamus sæpe numero Ægyptiacum imperium pluribus partibus discerptum fuisse : hoc enim certo accidere potuit, imo et debuit, tum

attenta tanti imperii diuturnitate, tum perspectis locorum natura et situ; parte enim superiori ab unitate monarchica deficiente, non ita facile propter locorum angustias intra duos desertos ac montuosos tractus productorum, rex Ægypti inferioris unitatis reducendæ causa, superiorem regionem petere valebat.

Exinde haud ægre perspicuum evadet, quod insuper abundantius ex historia colligetur, regnante in regione Memphitica dynastia qualibet, Thebaidem quandoque propriis principibus paruisse. Eodem pacto, invadentibus Ægyptum Pastorum seu *Hiq-Shasu* agminibus, et rebus politicis omnino subversis, reges antiqui in superiorem Ægypti partem sese receperunt, atque in ea auctoritatem regiam exercuerunt usque dum, pulsis tandem Pastoribus, restituta fuerit primæva monarchia.

His autem non obstantibus, asserimus Manethunem, aut eos qui Manethuni abbreviando incubuerunt, jam sibi suscepisse provinciam eos reges, easque dynastias expungendi quos uti legitimos habere non potuerunt: ita ut horum unice nobis tradita sint nomina qui uti *Se Ra*, id est veri Solis filii ac proinde reges legitimi vulgo habiti sunt. Hinc autumamus reges a Sebennytico antistite enumeratos, paucissimis forsan exceptis, regnum successive fuisse adeptos.

Primum argumentum mere negativum, hoc est e silentio monumentorum depromptum, nobis suppetit, at non ideo ad conclusionem probandam invalidum.

Ab omnibus, etiam a fautoribus sententiæ ad-

versæ, admissum est nullum hucusque repertum fuisse monumentum quo possit evinci plures dynastias eodem tempore regnasse quas Manetho uti successivas nobis tradidit. Hac de re, ipsi scientiarum ægyptiacarum principes minime dissentiunt; audiatur omnium loco vir clarissimus Mariette : « Tout se réunit contre le système des dynasties » collatérales, et j'attendrai pour y croire qu'une » seule fois les monuments nous aient fait connaître » comme simultanées deux familles royales qui » figurent dans les listes de Manéthon comme » successives (1). » — Et alibi : « Jamais aucun » des savants qui se sont efforcés de raccourcir les » chiffres donnés par Manéthon n'est encore par» venu à produire un seul monument d'où il résulte » que deux dynasties données comme successives » dans ces listes aient été contemporaines. Au » contraire, les preuves monumentales abondent » et ont été recueillies en grand nombre par les » égyptologues, qui démontrent que toutes les » races royales énumérées par le prêtre de Seben» nytus, ont occupé le trône les unes après les » autres (2). »

Hanc monumentorum inopiam, uti innuimus, dolentes fateri coguntur ipsi abbreviandarum dynastiarum auctores : legatur vir biblicis numeris addictissimus, clarissimus Oxoniensis Universitatis professor G. Rawlinson : « Ex altera parte, » Ægyptiaca monumenta talia sunt ut raro unquam

(1) Mariette, *Aperçu de l'Histoire de l'Égypte,* p. 67.

(2) Mariette, cit. ap. Lenormant, *Histoire ancienne,* t. II, p. 35.

» comprobent duos reges simul regnasse (1); » atque in toto historiæ quam anglica lingua egregie conscripsit decursu, nullum istiusmodi afferre valuit, nisi petitum e dynastiis extra Manethunis laterculos positis, quas proinde Manethune neque invito neque læso, pro lubitu expungere possumus.

Eadem perplexus fatetur R. Stuart Poole, in Smith's *Biblical Dictionary* sæpe laudatus ac re quidem vera laudandus scriptor : maxima difficultas, inquit, ex ipsis ægyptiacis inscriptionibus exoritur : quæ cum nunquam duos reges simul commemorent, ex eis probari non potest regem quemlibet fuisse solum Ægypti dominum. Verbi gratia, recentes admittunt dynastiæ duodecimæ reges fere singulos filium natu majorem potestatis regiæ socium constituisse : istorum tamen principum monumenta, licet multa existant, nunquam regum duorum eodem tempore regnantium mentionem injiciunt, licet uterque fuerit auctoritate publica recognitus approbatusque. Itaque a fortiori nulla occurret mentio in monumentis, si reges simul imperantes ad diversas dynastias pertinuerint (2).

Unum tamen afferunt (3) *Pi-anchi* regem Æthiopum, tempore *Taf-neXt* Ægypto dominantem; at quid inde? Exardescentibus seditionibus aut hostibus regionem invadentibus, duos simul de regno contendisse quid mirum? At impium regni invasorem *Pi-anchi* omisit Manetho, nedum istius

(1) G. Rawlinson, *Ancient Egypt*, t. II, p. 20.

(2) Smith's *Biblical Dictionary*, voc. Egypt, *technical Chronology*.

(3) Kitto's *Biblical Cyclopædia*, voc. Manetho, p. 48, b.

et similium nomine laterculos suos plus æquo distenderit.

Omnes ergo sive libentes, sive inviti, altum monumentorum hac de re silentium fateantur necesse est.

Jam istius silentii nulla ratio probabilis ab adversæ sententiæ fautoribus allata hactenus fuit. Instituta enim diligenti inscriptionum recognitione, eas deprehendes non solum maxima frequentia esse asservatas, sed talia nobis tradere e quibus nullo negotio colligatur quomodo res politicæ in Ægypto sese habuerint quo tempore conscriptæ fuerunt. Singulas quidem explanandi neque nobis copia, neque utilitas; at non erit lectori benevolo ita inutile, ad præsentem quæstionem quod attinet, si perbrevem earum complexum proposuerimus.

Quæcumque bella gesserint Ægyptii, his ex inscriptionibus procul dubio noveris, potius cum incremento quam cum detrimento rerum præclare gestarum; tum enim privati facinoribus gloriantur, cum reges sibimetipsis partam victoriam gratulantur. Bella contra Æthiopes gesta ab Ameni (1), contra Uauat ab Una (2), contra Asiæ incolas a Sineh (3), etc., etc., fuso calamo enarrata, legere potes.

Neque minori jactantia reges sua fortiter facta tradidere : hostium scilicet nomina, copias, opes, paratas ab istis insidias ; exercitus numerum, varia

(1) *Records of past*, t. XII, p. 59.

(2) *Ibid.*, t. II, p. 3.

(3) *Ibid.*, t. VI, p. 131.

auxilia ; inita prælia, icta pacis fœdera, allata tributa ab hostibus vel captam prædam, etc. Istius generis documenta tam multa scripsit *Ramses-mei-amen*, ut vix legi queant ; neque modestia majori sese gessit istius pater, *Seti I^us^;* pluribus antea sæculis, reges nomine *Usurtesen* et *Amen-m-hat* insigniti, jam singulos debellatos hostes ædium parietibus exsculpendos curaverunt.

His in adjunctis, quomodo regum quos fingunt eodem tempore diversis tamen in locis imperantes, nullus coævi nomen unquam prodiderit? Pluries bellum inter se movere debuerunt : curnam de initis præliis perpetuo silent? fac contra pacem perpetuam servaverint, sed cur fœderis et mutuæ amicitiæ nulla reliquerunt vestigia qualia erexit *Amen-m-hat* icto cum Æthiopibus fœdere, *Ramses-mei-Amen* pacta pace cum Heteis, et alii plurimi quibus simile contingebat? Curnam Thebæi cum Memphitis neque initam pacem neque gestum bellum commemorarunt ?

Imo Thebæis minime licebat Lybicas, Sinaiticas aut Asiæ regiones petere, neque Memphitis Abydenisque Æthiopiam, terramve Punt aut Cush, nisi occupata regni alterius ditione. Atqui millies bellicis istius generis incursibus indulserunt, eosque minute scripto mandare consueverunt. Qua ergo ratione de invasis thebaicis aut memphiticis regionibus nihil unquam prodiderunt, qui tum præclare gesta, tum itineris impedimenta atque viæ longinquitatem describere nunquam sunt obliti ?

Quod adeo verum est et notatione dignum, ut statim atque dantur plures reges coætanei — quos

cæteroquin Manetho e suis laterculis sedulo expungere non prætermisit, — sæpius eorum nomina in inscriptionibus referantur : ita enim præter reges legitime potestatem regiam adeptos, *Pi-anXi, Apapi*, aliique contra fas dominati eodem tempore, eisdemque inscriptionibus memorantur.

Propositum argumentum urgere atque perstringere est : nam etiam admisso coætanearum dynastiarum systemate, constat nemine diffitente non semper discerptam fuisse Ægyptum; quo enim tempore res publicæ maxime florebant, puta regnantibus principibus dynastiæ VIæ, XIIæ, vel etiam XIXæ, tunc rex unicus toti imperio præerat. Cum autem hæ dynastiæ regiones ab aliis occupatas sibi vindicare cœperunt, bella certe debuerunt exoriri, aut saltem rerum mutationes turbationesque gravissimæ : quæ pro more a regibus Ægyptiis scripto mandari necesse fuit, hoc enim nusquam omiserunt similibus in adjunctis, puta cum imperii fines quacumque de causa prorogarentur, annexis Ægypto sive Lybicæ, sive Asiaticæ regionis tractibus. Pari ratione debellatos Pastores, vel triumphantes Æthiopes, etc., in inscriptionibus plurimis legimus ; contra acquisitæ Memphiticæ aut Thebaicæ regionis nulla mentio injicitur : ergo nulla revera admitti potest istorum terræ tractuum accessio ; ac proinde concludamus oportet res Ægyptiacas ab uno principe toto imperii decursu generatim fuisse temperatas.

At, ne quis æstimet hoc indirectum argumentum nobis unicum suppetere, quamvis in præsentiarum maximi roboris nequeat non videri, alia rationis

momenta, ad conclusionem magis directe probandam utilia, statim proponemus; quorum pondere, uti speramus, facile inclinari poterit quisquis non fuerit præjudiciis implicatus.

CAPUT VII

Eadem conclusio argumento indirecto declaratur.

Manethunis dynastias, ad rite stabiliendam earum successionem, altero nunc modo exploremus haud inutile erit. Etenim præter eas quas in canone suo sacerdos ægyptius consignandas duxit, plures alias exstitisse variis in locis pro temporum opportunitate, nemo est qui negare præsumat. Omisso namque Eusebio (1) qui et ipse ad veterum auctoritatem provocat, testes gravioris momenti libenter audies, scilicet ipsos Ægyptios, qui suis monumentis nonnunquam testati sunt reges plures diversis terræ tractibus quandoque imperitasse.

Stelam Æthiopis *Pi-anXi* jam in medium protulimus, septem reges simul commemorantem; huic addere juvat papyrum celeberrimam (2) dissidia inter reges *Apapi* et *Seqenen-Ra* exorta enarrantem, sepulcralem nautæ *Aahmes* inscriptionem (3), et pauca ejusdem generis documenta; quibus mature perpensis, tribus temporis tractibus plures

(1) Euseb., *Chron.*, ed. Maï, p. 96.

(2) *First Sallier Papyrus*, Records of the Past, t. VIII, p. 1, transl. by Lusington.

(3) *Inscription of Aahmes, son of Abana*, ibid., t. VI, p. 5, transl. by P. le Page-Renouf.

dynastias simul regnasse certo deprehendes. Nunc vero his in adjunctis quomodo Manetho sese gesserit, requirendum : exploremus igitur utrum dynastiæ istæ ejus tabellis, ad conflandos plus æquo laterculos, allegatæ fuerint uti successivæ; an contra e duabus coætaneis alteram laterculis collegerit Sebennyticus, alteram uti illegitimam sedulo expunxerit.

Primus Ægyptiorum annalium locus in quo nemine diffitente plures dynastias deprehendere est, ea tempestate reponendus est qua reges Pastores dicti *Hiq-Shasu*, seu principes latronum (ea enim est vis nominis istius), inferiori Ægypto necnon et Memphiticæ regioni imperabant. Statim autem atque Asiatici Pastores teterrimo et audacissimo incursu regnum invaserunt, defecerunt principes legitimi, et clanculum Ægyptum Altiorem petiere, ubi cum paululùm quievissent, ac sensim suam auctoritatem denuo stabilivissent, tandem lapsu temporis adeo potentes evaserunt ut si minus nomine, at re saltem regibus Pastoribus potestate et copiis æquales incederent. Istorum Thebæorum nomina authenticis monumentis prodita sunt, non quidem omnium, sed eorum certe qui ultimi, sæculo liberationem præcedente, imperitaverunt; sequentes commode memorabimus :

Ta-aa Ra-Seqenen I *Ta-aa Ra-Seqenen II* *Ta-aa-qen Ra-Seqenen*	Quorum inventa nuperrime sepulchra (1); ultimus nominatur insuper in inscriptione *Aahmes se Abana;* alter in papyro *Sallier* de qua supra.

(1) Lenormant, *Histoire ancienne,* t. II, p. 329; G. Rawlinson, *History,* t. II, p. 201.

Ra-Uats-Xeper Ka-mes *Ra-Neb-pehti Aah-mes*	Nominati in inscriptione *Aah-mes;* amplius repertum posterioris sepulchrum; priorem vero ex uxoris *Aah-hotep* (1) monumento novimus.

Atqui si Manethuni placuit laterculos plus æquo extendere, hanc Thebæorum seriem non debuit omittere, neque potuit. Hi enim reges a quibus sese exortos fuisse sequentes principes gloriati sunt, regiis Ægypti tabulis fuerunt consignati; imo uti ex papyris supra relatis fit evidens, circa istos plurimæ fabulæ circumferebantur haud secus atque circa Sesostrin aut Rampsinitum; insuper eorum sepulchra Thebis maxima cum religione asservabantur, ita ut prorsus sit certum Manethunem nonnisi scienter ab istis memorandis abstinuisse. Is enim dynastiæ XIV[æ] Xoiticæ, id est ab urbe *Xso-u* in Ægypto inferiori oriundæ, statim tres Pastorum dynastias subjicit; Pastoribus vero item subjicit Thebaicam, sed principibus iis exclusis qui regnantibus Pastoribus imperitaverunt; nam tum apud Eusebium tum apud Africanum, dynastia XVIII[a] ab Amosi exoritur (græce Αμῶς, Αμῶσις, ægyptiace *Aah-mes*), prætermissis *Ra-Seqenen, Kames*, etc.

Apertum Sebennytici scriptoris consilium altero exemplo declarabitur. Imperantibus scilicet dynastiæ XXI[æ] principibus in Tanitica regione, scimus eodem tempore regnasse dynastiam Thebaicam, cujus familia a summis dei *Amen-Ra* pontificibus originem ducebat. Iis vero Thebæis cum Tanitis

(1) Mariette, *Catalogue de l'Exposition égyptienne*, 1867, n. 25, 29.

quorum jugum excusserant, fuit armis sæpius congrediendum, eorumque facinora hac de causa fuerunt plurimis insculpta monumentis, e quibus ea sedulo collegimus. Omnium primus, regnante *Ramessu (XIII°) -mei-Amen Xeper-ma-Ra-sotep-n-Ra*, imperium affectavit et adeptus est *Her-Hor-Se-Amen Neter-hon-tep-n-Amen* (id est *Her-Hor* filius Amen, primus sacerdos Amen), sed irrito mox conatu; nam ejus filius imperium retinere minime valuit. Sequentibus vero res melius cessit, ita ut *Pi-anXi* et *Pi-netem*, etc., feliciter regnare potuerint.

Quæ tamen graviter tulerunt Tanitæ, atque indicto bello Thebaicam regionem armis obtinuerunt. Thebæi autem sacerdotes, ne regiam dignitatem abjicerent, in provinciam Æthiopicam tunc temporis Ægyptiis subditam sese receperunt, quam pluribus rexerunt sæculis, donec anno circiter DCCXL°, Ægypto denuo potirentur.

En sequenti tabella istorum sacerdotum simul atque regum nomina et brevem historiam :

Her-Hor-Se-Amen *Pi-netem* e regno pulsus *Pi-anXi* *Pi-netem* *Ra-men-Xeper* *Pa-seb-n-sha* *Hor-pa-seb-n-sha*	regnant Thebis.

Eorum successores, ex Ægypto pulsi, duo sæcula *Napatæ* in Æthiopia imperium exercent, eamque monumentis usque nunc superstitibus exornant; *Pi-anXi* Ægyptum rursus armis occupat.

Hunc laterculum, minime quidem contemnendum, potuisset certo Manetho suis ordinibus inse-

rere. Atqui tamen inter dynastiam XX[am] Ramessidarum et dynastiam Bubastitarum XXII[am], Tanitas reges septem tantummodo commemoravit, exclusis sedulo a dynastia XXI[a] Thebæis sacerdotibus. Igitur hac etiam vice coætaneos expungendos curavit.

Qua ratione in tertio casu scriptor ægyptius sese gesserit, periculum faciamus. Didicimus ab Herodoto et Diodoro (1) ante dynastiam XXVI[am] duodecim principes simul regnasse, quorum imperium *Dodecarchiæ* nomen obtinuit, annosque XV eduravit, tempus certo Manethuni nequaquam negligendum, cum ipse VII[am] Memphiticam dies solum LXX dominatam scripto mandare non dubitaverit. At desideratur hæc *Dodecarchia* apud historiographum nostrum, qui uti Æthiopum successores Saitas statim producit.

Collato igitur cum monumentis ejus opere, coætaneas dynastias ex industria fuisse ibi omissas concludamus oportet.

(1) Herod., *Histor.*, l. II, n. 151; Diodor., *Biblioth.*, l. I, n. 66.

CAPUT VIII

Eadem conclusio altero argumento indirecto demonstratur.

Aliud nobis suppetit medium quo ditionem dynastiis singulis attribuendam facile cognoscamus : etenim regum quisque in dominio proprio monumenta erigenda curat, in alterius mancipio negligit. Et re quidem vera, Ægyptii principes nihil antiquius habuerunt quam ut præcipuas suæ ditionis urbes exornarent ædibus ac delubris quorum vel ruinæ admirationem movent ; at ditionis alterius urbes adornandi, neque voluntas eis certo, neque facultas.

Insuper omnibus perquam notum est Ægyptios reges apposito proprio aut regali nomine monumenta a se erecta insigniisse, imo sæpe res a se præclare gestas eis insculpsisse : ita enim usus ille invaluit ut monumentorum ope facile colligi potuerit ægyptiacæ monarchiæ historia. Hæc igitur documenta expeditam nobis viam sternere possunt ad terminos regni uniuscujusque explorandos ac nullo negotio recognoscendos. Eo pacto scilicet familia quædam Thebæorum principum quibus nomina erant *Entef* et *Ment'u-hotep*,

Thebaicas ditionis suæ plagas exornavit, minime vero Abydum aut Memphim (1). Eadem ratione Pastorum Tanitarum nomina legi possunt in inferiori, minime vero in superiori Ægypto, uti cuique compertum est. Contra reges qui tunc temporis Thebas obtinuerunt, uti *Ra-seqenen*, *Ka-mes*, etc., ibidem tumulos ac sepulchra erexerunt, attrectatis haudquaquam Pastorum finibus.

Neque enim aliter fieri poterat : coævi namque principes invadi proprium regnum æquo animo non tulissent, vel ab ædificatorum agminibus : aut ab ædificando prohibuissent, aut erecta destruxissent, aut demum injusti invasoris nomen malleis deturpandum curassent, quandoquidem et Ægyptii his mediis monumenta fœdare consueverant. Sic *Tahut-mes III*[us] *aa-Xeper-n-Ra* nomen sororis suæ *Hatasu*, quæ contra fas et fraternæ auctoritatis detrimento e regni procuratrice regina evaserat, omnibus artibus e medio sustulit; *Ramessu II*[us] *Mei-Amen sotep-n-Ra-usur-ma* plurima decessorum ædificia, sublato auctoris nomine ut suum insculperet, sibimetipsi vindicavit; Amen-hotep IV[us] quoque, dictus postea *Xu-n-aten*, recentioris dei Aten cultor immodestus, e veterum monumentis nomen dei Amen eradendum curavit; quod quidem ei cessit parum feliciter, nam deinceps ipsi Amen cultores nomen regis *Xu-n-aten* pari studio expunxerunt.

(1) Primos hujus dynastiæ principes Manetho laterculis suis non commemoravit : nam ex numero regum quos dynastiæ XI[æ] attribuit, facile videtur expunctos ab illo fuisse quicumque totam Ægyptum ditione non tenuerunt, quamvis istorum nonnulli regios titulos usurpare non dubitaverint.

Igitur si Thebis Thebæi, Elephantide seu *Abu* Elephantinos, Abydi seu *Abud* Abydenos, tantummodo regnasse tenendum est, uti plurimi autumarunt, suo quæque loco regum nomina legentur; contra si per totam Ægyptum ii dominati sunt, ubique eorum monumenta reperiantur omnino necesse est. Jam vero rei periculum breviter faciamus.

Dynastia V^a^ Elephantidi, in Ægypto superiori, regnasse perhibetur; at reperies Elephantinorum monumenta non in superiori, sed in inferiori regione, in ipsissimo Memphitarum dominio, in loco cui nomen hodie *Saqqarah*, haud procul a celeberrimis Pyramidibus quarta dynastia erectis. Ibi Elephantinorum adeo frequentia existunt vestigia ut, cum singula referri aut attingi nequaquam sit possibile, pauca tantum breviter describemus.

1° Sepulchrum viri principis seu *Suten reX* cui nomen *SeXem-ka-Ra* : is, uti ex inscriptionibus monumento appositis indubie colligitur, duobus Elephantinis regibus *Usur-ka-f* et *Sahu-Ra* fideliter servivit.

2° Sepulchrum *Nem-hotep*, regis *Usur-k-af* ejusdem familiaris seu *semer*, et variis muniis cum civilibus tum sacris adaucti, præsertim sacra exercentis in sepulchro regis *Usur-k-af*. Is Saqqaræ conditus est, prior vero Gizeh, uterque scilicet in Memphitica ditione.

3° Sepulchrum ipsius regis Elephantini *Sahu-Ra* repertum fuit in memphitico *Abusir* pago, sub pyramide cui nomen ægyptiace *Shau-ba*. Imo idem rex stelam exstruxit in Sinaitica regione, qua pin-

gitur : « *Nuter aa seq Mentiu neb ta setiu neb* — Deus magnus elidens omnes Asiaticos, opprimens regiones omnes. » Is proinde ultra arctissimos Elephantidis terminos auctoritatem exercuit.

4° Sepulchrum *An-Xefte-ka*, qui reges ac simul deos *Usur-k-af* et *Sahu-Ra* coluit, atque pariter Saqqaræ reconditus fuit.

5° Denique celeberrimus *Ti* omnibus Elephantinorum dignitatibus honoribusque potitus « l'un » des *semer* devant la face gracieuse du Roi, » résidant dans le cœur de son seigneur, chef du » secret, secrétaire de son seigneur dans toutes » ses résidences, chef des travaux du roi et des » écritures royales, gouverneur de *Ra-seX* et de » *Ra-hotep*, commandant des prophètes (1), etc., » etc., » Saqqaræ reconditus jacet; cui sepulchro, in memphitica ditione erecto, non quidem dies, sed nomen principis regnantis appositum fuit : illud autem legitur *Ka-ka-a*, nomen scilicet regis dynastiæ Elephantinorum tertii.

Dynastia VI^a uti Memphitica exhibetur; et revera plura monumenta in vicino Mempheos erexit; sed plurima quoque in agro Abydeno, in Ægypto superiore, hucusque exstant.

1° Præcipuum locum obtinet jam supra laudatus *Unas*, cujus sepulchrali inscriptione Memphitici reges *Teta*, *Meri-Ra-Pepi*, et *Meri-n-Ra* uti unici reges laudibus extolluntur.

2° Imo inscriptiones regis *Meri-Ra-Pepi* a Tani

(1) De Rougé, *Mémoire sur les VI premières dynasties*, Acad. des Inscr. et Belles-Lettres, t. XXV, p. 309.

usque ad Syenen seu *Suan* ad Nili cataractas possunt colligi. His adde monumenta diversi generis, puta statuas permultas, quæ, in diversis Antiquitatum collectionibus hodie maxima religione asservatæ, et a regibus quintæ dynastiæ oriundæ, in diversis tamen Ægypti locis a cl. viro Mariette repertæ fuerunt.

XII[a] dynastia, quæ Thebis regnavit, totam tamen Ægyptum obtinuit uti ex plurimis probatur monumentis a regibus *Usur-tesen* et *Amen-m-hat* circumquaque relictis, in pæninsula Sinaitica, necnon in locis quibus nomina *Matarieh*, *San*, *Abud*, *Beni-Hassan*, *Syut*, etc. His proinde regnantibus, neque Heracleopolitæ, neque Xoitæ *Heracleopoli* aut *Xso-u* imperabant, sed universa regio a Thebæis regebatur, nam eorum principatus ubique vestigia remanent (1).

XIII[a] dynastia Thebæorum in urbe sacra dei Amen regnante, fautores adversæ sententiæ admittunt Xoitarum dynastiam decimam quartam urbis *Xsou* vicina obtinuisse. Ultro fatemur rarissima esse hujus tempestatis monumenta; curnam ita acciderit ratio in promptu est : Pastores enim, ætate immediate subsecuta, primo bellorum impetu, omnia igni ferroque ita populati sunt, ut paucissima exstent decessorum monumenta, sed eo ipso pretio habenda majori. Jam vero præcipua fortasse hucusque inventa, aut saltem quæ plurimum conferunt ad historiam istius tempestatis patefaciendam, haud quidem Thebis, sed procul inde, Tani videlicet, reperta sunt. Igitur et isti, haud secus

(1) De Rougé, *Notice sur les monuments du Louvre*, p. 23, n. 23.

atque anteriorum dynastiarum principes, totam Ægyptum ditione tenuerunt (1).

Dynastiæ XVIII[æ] Thebæi regione similiter potiti sunt universa : ab his enim regibus erecta sunt, aut restaurata optima quæque Ægypti monumenta : Elephantidi, uti ex inscriptionibus et regiis statuis aperto colligitur, templum exstruxit *Tahut-mes III*[us] *Ra-men-Xeper ;* Memphi et Gizeh idem præstitit *Tahut-mes IV*[us] *Ra-men-Xeperiu ;* et ne singulorum nomina proferam, plurima exstant, neque ignobilia, illorum vestigia in locis dictis *El-Kab, Tell-el-Amarna, Gebel-Tuneh*, Memphi, *Saqqarah*, Heliopoli, *Sherbut-el-Kadim, Wadi-Magarah*, in Sinaitica pæninsula, etc.

Ex his deducimus quam turpiter errant qui una cum Vossio, asserunt has dynastias eodem tempore sed diversis in locis regnasse, earumque principes fuisse « non reges, sed nomarchas. » Qua ætate hæc scripsit Vossius, assertiones istiusmodi forsan æquo animo ferri poterant ; nostris vero temporibus neque propugnari, neque impune valerent etiam enuntiari.

(1) De Rougé, *Notice sur les monuments du Louvre*, n. 16. — Mariette, *Aperçu de l'Histoire d'Égypte*, p. 85.

CAPUT IX

Eadem conclusio directo argumento declaratur.

Jam vero adversariorum hypothesi lethale vulnus inferamus : quæ certo tam crebris vulneribus confossa jamdudum occidisset, nisi fuisset inveteratis præjudiciis suffulta.

Certe causam obtinebimus si harum dynastiarum quæ facilius in suspicionem venerunt, ipsissimam continuationem quasi manu tractandam subjecerimus. Id vero fere nullo negotio præstari potest, videlicet eorum referendo testimonia qui vixerunt desinente una dynastia, exoriente vero proxime secuta, ita ut servierint ultimis prioris familiæ principibus, ac deinceps primis sequentis familiæ regibus. Hoc pacto de vera et proprie dicta continuatione nullum dubium rationabiliter moveri poterit.

Deficiente dynastia quarta, imperii sedes loco mutata fuit, Elephantinis Memphitas excipientibus. Quæramus ergo ex authenticis inscriptionibus quinam floruerint regnantibus Memphitarum ultimis ac dein Elephantinis exorientibus.

Præsto nobis est, quartam inter et quintam dy-

nastiam, vir princeps *Se-Xem-ka-Ra suten-ReX*, id est regis amicus seu familiaris. Is vero, in sepulcrali elogio sua præclare gesta ambitiosis verbis enumerans, quot regibus fideliter servierit, jactare minime omittit; subdit enim sese exstitisse

amaXu	*Xer*	*tfe*	*suten*	*Xer*	*neter*	*aa*
addictum	erga	patrem	regem,	erga	deum	magnum,

Xer	*suten*	*Ra-sha-f*	*Xer*	*suten*	*Ra-men-kau*
erga	regem	Shafra,	erga	regem	Men-kau-Ra,

Xer	*suten*	*Ases-ka-f*	*Xer*	*suten*	*Usur-ka-f*	*Xer*	*suten*	*SaXu-Ra.*
erga	regem	Ases-kaf,	erga	regem	Usur-kaf,	erga	regem	Sahu-Ra.

Tres quidem priores dynastiæ quartæ extrema occupant, posteriores autem duo quintam aperiunt; jam vero quam perspicua hæc sint nemo non videt: si iis servivit, ergo ii post priores regnaverunt. Inepte prorsus hic coævi reges fingerentur: quomodo contingere potuisset ut eodem *SeXem-ka-Ra* familiariter usæ fuissent ambæ dynastiæ coætaneæ, quarum certe contrariæ erant utilitates, imo quarum alterius altera regnum sibi vindicabat, siquidem utraque suis in inscriptionibus de obtenta universæ Ægypti ditione gloriabatur. Imo si coævæ fuerunt, qua ratione eas ordine continuo *SeXem-ka-Ra* nominavit? Quo pacto ultimis unius et primis alterius tantummodo servivit, atque intermedios omisit? At omnia hæc vix animo fingi valent, atque luculente proditur immediata et inconcussa dynastiarum successio.

Quæ quidem non confirmantur, nam talia non sunt quæ confirmari necesse sit, sed potius alio

declarantur argumento. In monumento Panormi asservato singillatim recensentur piæ donationes quas intuitu cultus divini reges Ægyptii elargiti sunt : continuo ordine memorantur oblationes regum *Ases-kaf*, *User-kaf* et *Nefer-ka-Ra*, junctis proinde ultimis Memphitarum cum primis Elephantinorum principibus, haud secus atque in jam laudato *SeXem-ka-Ra* elogio.

Dynastiam quintam Elephantinam denuo excipiunt Memphitæ reges dynastiæ sextæ. Quæ familiarum consecutio invicte et nullo labore, haud dissimili argumento, declaratur. *Sabu ran-ef nefer Abeba*, id est Sabu cui cognomen Abeba, utrique est famulatus, uti ex ejus sepulchro hucusque Saqqaræ exstante compertum est : fuit enim sub rege

Unas	...	*ases*	*Xer*	*suten*	*r*	*bak*	*neb*
Una	...,	æstimatus	a	rege	super	servum	omnem.

Adeo gratus Elephantino Unæ evasit ut is famulum suum ad summum Mempheos pontificatum evexerit ; lapsu autem temporis mutata Elephantinorum fortuna, Sabu e loco minime excidit, sed pariter regnante Memphita,

Se	*Ra*	*Teta*	*anX*	*theta*	...	*ases*	*Xer*	*suten*	*r*
filio	solis	Teta	vivente	semper	...	(fuit) æstimatus	a	rege	super

bak	*neb*
servum	omnem.

Eamdem omnino conclusionem parit inscriptio principis *Ptah-Ases*, sacris muniis et amplissimis

honoribus adaucti, neque prorsus immerito : is enim, cum esset regnante *Teta*, ex Memphitis principibus

amaXu	*Xer*	*neter*	*n neb-f*	*ra*	*neb*
addictus	erga	divinitatem	domini sui	diebus	cunctis,

veterum tamen non erat oblitus Elephantinorum, utpote

Unas	*nefer asu*	*neter hon ...*	*n*	*het*	*neb-f*
(regis) Unæ	N. A. Pyramidis	sacerdos ...	in	corde	domini sui.

En igitur successionem apertissime indigitatam, imo adeo perspicue declaratam ut ulterius inquirere inutile evadat !

Erecta monumenta quo tempore Memphitis successerunt Heracleopolitæ, aut deinceps Heracleopolitis Thebæi, hucusque non comparuerunt. His vero supra allatis, attenta documentorum istorum raritate, vix quidquam amplius requirendum est ; priores enim dynastiæ olim facilius cæteris in suspicionem veniebant, ita ut optime sit de scientiis historicis meritus clarissimus vir de Rougé, cujus opera densæ tot sæculorum tenebræ discussæ fuerunt.

Concludamus ergo dynastias Manethunis, paucissimis partibus exceptis, continua successione esse ordinandas, ut accurata temporum ratio contexatur. Huic conclusioni nostræ, tanta modestia prolatæ, favent fere omnes ægyptiacarum litterarum magistri, si nonnullos excludas quorum cæteroquin argumenta ex ipsis rei visceribus haud unice

petuntur. Potius audiendus est, breviter et nervosius rationum momenta perstringens, eruditissimus A. Mariette :

« Je crois que ce qui nous éloigne encore le moins » de la vérité, c'est l'adoption pure et simple des » listes de Manéthon. Je suis bien loin de prétendre que, de Ménès aux empereurs, l'Égypte ait » toujours formé un royaume unique, et peut-» être des découvertes inattendues prouveront-» elles un jour que, pendant toute la durée de ce » vaste empire, il y eut encore plus de dynasties » collatérales que les partisans de ce système n'en » admettent aujourd'hui. Mais tout porte à croire » que le travail d'élimination est déjà fait dans » les listes de Manéthon, telles qu'elles nous sont » parvenues. Si en effet ces listes contenaient » encore les dynasties collatérales, nous y trouve-» rions, avant ou après la XXIe, la dynastie des » grands-prêtres qui régna à Thèbes pendant que » cette XXIe occupait Tanis ; nous aurions de » même à compter, avant ou après la XXIIIe, les » sept ou huit rois indépendants qui furent ses » contemporains.... Il y eut donc incontestable-» ment en Égypte des dynasties simultanées ; » mais Manéthon les a écartées pour n'admettre » que celles qui furent réputées légitimes, et elles » ne sont plus dans ses listes. Autrement ce n'est » pas trente et une dynasties que nous aurions à » compter dans la série des familles royales anté-» rieures à Alexandre, c'est jusqu'à soixante peut-» être qu'il faudrait monter pour en exprimer le » nombre. D'ailleurs, en supposant même que

» Manéthon n'ait pas voulu faire cette élimination,
» comment admettre que les abréviateurs de Ma-
» néthon, tous plus ou moins intéressés à raccour-
» cir ses listes, ne l'aient point faite eux-mêmes,
» alors que, par le texte de l'ouvrage qu'ils avaient
» sous les yeux, ils en possédaient les moyens.
» Tout se réunit donc contre le système des dynas-
» ties collatérales, et j'attendrai pour y croire
» qu'une seule fois les monuments nous aient fait
» connaître comme simultanées deux des familles
» royales qui figurent dans les listes de Manéthon
» comme successives (1).... Je ne donne pas le
» tableau développé plus haut comme le dernier
» mot de la science ; mais j'admets que les trente
» et une dynasties de Manéthon nous présentent,
» sans juxtaposition de dynasties collatérales, le
» nombre des séries royales enregistrées comme
» légitimes et successives dans les annales offi-
» cielles de l'Égypte avant Alexandre (2). »

Insuper, Manetho, præter dynastiæ uniuscujusque nomina, quot annos reges singuli regnum tenuerint, constanter tradidit. Ad hos tamen numeros quod attinet, nullam e consulto instituimus quæstionem. Ratio in propatulo jacet : præterquam quod sæpius Africani numeri minime cum Eusebianis consonant, unde gravis exoritur causa dubitandi quænam sit lectio verior, non tam certi esse possumus etiam communes utrique numeros esse Manethunis genuinos, quam necesse foret ad chronographiam accurate exinde intexendam.

(1) Mariette, *Aperçu de l'Histoire ancienne d'Égypte*, pp. 66 et 67.
(2) *Ibid.*, p. 68.

Munus illud forsan præstitisset papyrus Taurinensis, quæ, memoratis Ægypti regibus singulis, annos regni et vitæ uniuscujusque subjecit; at quam turpiter dilacerata hodie existat, neminem fugit.

Ipsa vero monumenta ad hunc computum conficiendum omnino imparia exstant, tum quia regum plurimorum monumenta hucusque desiderantur, tum quia numeri his monumentis inscripti minime indicant quot annis unusquisque regnaverit; nescimus enim an quo anno tale monumentum rex talis exstruxerit, eo ipso sit vita functus, etiamsi posthac nulla dentur istius principis vestigia. Verbi gratia exstant monumenta anno quinquagesimo *Entef-aa* insignita, e quibus secure deducere valemus eum tot annis saltem imperasse : utrum vero necne diutius regnaverit, cordatus nemo exhinc asserere aut negare pariter audebit.

His de causis, magis obviam inchoabimus investigationem, ad explorandam ratione probabili Ægyptiacæ monarchiæ antiquitatem : numeris enim plurium regum quorum anni e monumentis commode colligemus in unum congestis, regnorum singulorum mediam computationem haud ægre conficiemus e qua tempora a Manethune conscripta nulla ratione modum excessisse, luce clarius, uti speramus, patebit.

Attenta ultima singulorum inscriptione, regnaverunt

Antef-aa	annos	L
Amen-m-hat	»	XXIX

Usur-tesen I	annos	XXXV
Amen-m-hat II	»	XXXVIII
Usur-tesen II	»	XIII
Usur-tesen III	»	XXXVI
Sebek-nefer-Ra	»	IX
Sebek-hotep	»	III
Aah-mes	»	XXII
Tahut-mes III	»	LIV
Amen-hotep I	»	XIII
Amen-hotep II	»	VII
Hatasu.	»	XXII
Tothmes IV	»	VIII
Amen-hotep III	»	XXXVI
Amen-hotep IV	»	XII
Hor-m-heb	»	XXI
Seti . . . . . . / *Ramses*	»	LXXXII

XVIII regnorum summa : anni CCCCLXXVIII
id est pro singulis regibus : anni XXVI

Notandum tamen hanc computationem potius per defectum quam per excessum peccare : uti innuimus, ex ultima reperta inscriptione non cognosci potest præcise quot annos unusquisque imperaverit; aliis forsan inventis inscriptionibus, numeri quos supra protulimus, erunt plus minusve adaugendi.

His insuper Pastorum laterculos e Josepho excerptos addere juvabit; ex quibus mediam supputationem nostram, ad annos XXVI pertingen-

tem, potius augendam quam minuendam esse deprehendes :

Set-aa-Pehti	regnavit annos	. . . .		XIX
Bnon	»	XLV	vel apud alios	XL
Apachnas	»	LXI	»	XXXVI
Staan-Iannas	»	. . . .		L
Asses	»	. . . .		LIX
Apapi	»	. . . .		LXI
Ahmes	»	. . . .		XXV
Amen-hotep	»	. . . .		XIII

Summa : anni CCCIII inter reges VIII dividendi, id est pro regibus singulis anni XXXVIII.

Judaicus scriptor in numeris conscribendis immodestus forsan videbitur : sed ratio habenda est vitæ humanæ qualem ex ipsius Bibliæ testimonio certo colligere possumus, minime vero qualem nunc experimur. His attentis, ipse Manetho qui per annos IIIM Vetus ac Medium produxit imperium, paulo modestior certe apparebit.

Etenim præter reges circiter LX quorum monumenta authentica reperta sunt, et qui per annorum fere MM regnaverunt ante dynastiam decimam nonam, amplius centum alii memorantur sive in decessorum monumentis, sive in publicis tabulis quarum descriptionem supra retulimus : qui MM annorum ad minimum regnaverunt. His adde sæcula nonnulla quæ necessaria videntur ad artium cultum apud Ægyptios necnon et litterarum progressum explanandum : et certe modestum Seben-

nyticum prædicabis, vix ultra III millenaria exposcentem.

Illis vero cum numeris et computationibus confer, si placet, generationes quatuordecim quas inter diluvium et mosaica tempora, id est dynastiæ ægyptiacæ decimæ nonæ ætatem, textus Bibliæ hodiernus digerit, videlicet generationes :

Sem	Gen. XI, 11-26.	Thare	Gen. XI, 26.
Arphaxad		Abram	
Sale		Isaac	Gen. XXV, 25.
Heber		Jacob	
Phaleg		Levi	Exod. VI, 16-20.
Reu		Caath	
Sarug		Amram	
Nachor		Moysen	

et dum ad alia studia nosmetipsos convertimus, excogita, si lubet, qua ratione hæc simul componi possint. Ipsi autem, omnibus testibus nondum auditis, quæstionem tanti momenti præmaturo delibare nolumus.

SECUNDA PARS

Chaldæorum monumenta.

CAPUT X

De historicis Chaldæorum scriptoribus.

Non solum cum Ægyptiis, sed et cum Chaldæis olim Hebræi consuetudine juncti sunt : scimus enim Hebræorum parentem Abraham a Deo fuisse de Ur Chaldæorum eductum; insuper quæ Moyses de mundi origine, de diluvio, de turris opificio in Genesi tradidit, cum antiquissimis Chaldæorum traditionibus ad verbum sæpe consonant, uti legere est apud eruditos qui de cuneatis inscriptionibus verba fecerunt (1).

Istorum ergo auctoritas circa vetustissimos historiæ tractus, minime est parvi facienda.

(1) Cave tamen ne ulterius quam par est, procedere velis, uti nonnumquam accidit G. Smith, viro cæteroquin præstantissimi ingenii, sed cujus opera diligenti correctore indigent.

Fatemur tamen Chaldæos jamdudum minus commode audire, propter vere stupendam qua gloriabantur, generis sui antiquitatem : « Contem-
» namus Babylonios, inquiebat Tullius (1), ... aut
» stultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ qui
» CCCCLXX millia annorum, ut ipsi dicunt, mo-
» numentis comprehensa continent ! »

Neque criticis sacris gratior exstitit Berosus, Chaldaicæ gentis historicus : licet enim horum plures nonnulla a Beroso excerpsissent cum biblicis narrationibus apprime consonantia, uti Josephus, Africanus, Eusebius, etc., de cætero istum minimi faciebant, atque una cum Julio Africano graviter increpabant : Τὸν τῶν Χαλδαίων λῆρον, τὸ τῶν τεσσαράκοντα ὀκτὼ μυριάδων, τί δεῖ καὶ λέγειν (2) ;

Pauci tamen e veteribus Chaldæos scriptores si minus absque suspicione, at certe æquo satis animo legerunt, et ex eorum testimoniis rati sunt antiquissimum exstitisse hoc hominum genus. Ita Simplicius, Aristotelem commentatus, asserit Callisthenem misisse ad Stagiritam stellarum observationes ante annos MDCCCCIII conscriptas : veteres enim astrologos in suspicionem adducit διὰ τὸ μήπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαϐυλῶνος πεμφθεῖσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα, τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκήψαντος αὐτῷ· ἅστινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐννεακοσίων τριῶν, μέχρι τὸν χρόνον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακέδονος σωζομένας (3). Quia autem Babylon anno ante Christum CCCXXXI° ab Alexandro capta fuit, Chaldæi,

(1) Cic., *de divin.*, I. 19.

(2) Afric. apud Syncell., *Chronograph.*, p. 17, D.

(3) Simplicius, in Aristot. *de Cœlo*, II, 12, 3, p. 503, A.

Simplicio auctore, jam anno ante Christum natum IIMCCXXXIV° rei astronomicæ prudentes erant; quin imo, asserente ipso Aristotele, erant Babylonii οἱ πάλαι τετηρηκότες ἐκ πλείστων ἐτῶν (1), antiquissimi omnium cœli observatores. Hinc Diodorus Siculus: Τοῦτό γε διαβεβαιώσαιτ' ἄν τις προσηκόντως, ὅτι Χαλδαῖοι μεγίστην ἕξιν ἐν ἀστρολογίᾳ ἁπάντων ἀνθρώπων ἔχουσι, καὶ διότι πλείστην ἐπιμέλειαν ἐποιήσαντο ταύτης τῆς θεωρίας (2).

At eamdem fortunam quam ægyptius Manetho, iisdemque de causis, Berosus expertus est; junctis enim temporibus vetustate obsoletis, aut potius, uti aiunt, mythicis, cum eo sæculorum tractu cujus accurata exstabat memoria, uterque auctor eam annorum congessit seriem a qua mens præjudiciis minime implicata abhorrere non nequeat. Quod procul dubio eis vitio vertendum est; sed antiqui fere omnes in eodem sunt crimine. Indorum et Sinensium chronologias vix moderatioribus uti supputationibus facile noveris; e quibus unum aut alterum testimonium seligere juvat.

« Audite nunc quæ sit singularum mundi æta-
» tum diuturnitas : e IVM annorum divinorum
» (annus divinus stat pro annis humanis IIICLX)
» constat *Krita yuga* (ætas prima, scilicet aurea) :
» cujus crepusculum e totidem constat annorum
» centenis ; totidem vero, aurora.

» Tria cætera *yuga* ex annis constant toti-
» dem, dempta unitate e singulis centenis ac
» millenariis. Ex istorum summa conflunt anni

(1) Arist., loc. supra cit.

(2) Diod. Sic., II, 31.

» divini XIIM (id est humani 4,320,000 (1). »

In avesticis libris, hominum primus *Yima* annos mille regnat ante culpam qua ex *Airyana-Vaedja* ejicitur (2). Qui numerorum excessus aut mythicis cyclicisve supputationibus nituntur, aut potius primævam traditionem circa vitam patriarcharum immanibus incrementis corrumpunt (3) : cujus traditionis vestigia apud antiquas gentes diligenter scrutatus est Josephus, ab Eusebio et Syncello laudatus :

Ἔπειτα καὶ δι᾽ ἀρετὴν καὶ τὴν εὐχρηστίαν ὧν ἐπενόουν ἀστρονομίας καὶ γεωμετρίας πλεῖον ζῆν τὸν θεὸν αὐτοῖς παρασχεῖν· ἅπερ οὐκ ἦν ἀσφαλῶς αὐτοῖς προειπεῖν, μὴ ζήσασιν ἑξακοσίους ἐνιαυτούς· διὰ τοσούτων ἐτῶν ὁ μέγας ἐνιαυτὸς πληροῦται· μαρτυροῦσι δέ μου τῷ λόγῳ πάντες οἱ παρ᾽ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις συγγραψάμενοι τὰς ἀρχαιολογίας, Μανεθῶν ὁ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενος ἀναγραφὴν καὶ βήρωσσος ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ, Μῶχός τε καὶ Ἑστιαῖος καὶ πρὸς αὐτοῖς τοῖς Αἰγυπτίοις Ἱερώνυμος, οἱ τὰ Φοινικὰ συγγραψάμενοι συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ᾽ ἐμοῦ λεγομένοις. Ἡσίοδός τε καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἀκουσίλαος, καὶ πρὸς τούτοις Ἔφορος καὶ Νικόλαος ἱστοροῦσι τοὺς ἀρχαίους ζήσαντας ἔτη χίλια (4).

(1) *Lex Manu*, l. I, v. 69, 70.

(2) *Yescht* XIX, 31-38; XVII, 30.

(3) Josephus, *Ant. jud.*, I, 3, 9.

(4) Hinc uti errorem, et quidem exitialem, ducimus opinionem a clarissimo F. Lenormant his verbis prolatam : « (Il faut avoir » bien peu le sentiment de la critique scientifique) surtout pour » s'imaginer que l'existence d'un mythe babylonien, phénicien ou ira- » nien, correspondant à tel ou tel des récits des premiers chapitres de » la *Genèse*, confirme la réalité historique de celui-ci. Car c'est l'idée » diamétralement inverse qu'une semblable coïncidence éveillera » d'abord dans tout esprit dégagé des préoccupations de la sorte » d'évhémérisme qui règne encore aujourd'hui en pareille matière » dans la plupart des écrits apologétiques.... La conclusion qui » ressortira pour tout esprit critique de la conformité des uns et des

Quonam tempore floruerit Chaldæus Berosus, neque omnino liquet, neque ad thesim nostram propugnandam scitu necesse est. Josephus, Tatianus, et Eusebius eum uti Chaldæum exhibent ac Babylonium; vixit regnantibus Alexandro et iis qui eum primi exceperunt. Justinus martyr autem, et paulo post Pausanias, eum uti Sybillæ Babylonicæ aut Ægyptiæ parentem designant : utrum recte an perperam nostra certe parvi interest. Conscriptum esse ab illo opus cui titulus Βαβυλωνιακά vel Χαλδαϊκά, in libros tres distinctum perquam certum est. Ex illo opere quædam excerpserunt Apollodorus ac deinceps ex Apollodoro Alexander Polyhistor, denique ex alterutro Josephus, Africanus, Eusebius et Syncellus, cæteros minus notos ut omittam.

Alii tamen pariter res Chaldæorum, Babyloniorum, et Assyriorum, quos cæteroquin non ita subtiliter ab invicem secernebant, data opera attigerunt.

» autres ne sera certainement pas que cette narration est historique, » et que la Bible nous en offre la vérité obscurcie partout ailleurs, » mais bien au contraire qu'elle est purement mythique, et que le mythe » biblique n'a ni un autre caractère ni plus d'autorité que ceux des » autres peuples. Et il ne faut pas se dissimuler que c'est la manière » de voir qui va s'accréditant chaque jour davantage dans un plus » grand nombre d'esprits, parce que la thèse à laquelle s'attache » encore la polémique orthodoxe est impuissante à la réfuter. » *Les Origines de l'Histoire*, t. II, part. I, p. 266, note. Obesse potius judicamus quam prodesse documentorum farragines quales exhibuerunt nonnulli scriptores catholici, melioris utique voluntatis quam scientiæ viri. At documentorum certæ auctoritatis et accurate translatorum prudens ac solers usus qualem apud Vigouroux, *La Bible et les Découvertes modernes*, necnon apud ipsum F. Lenormant, *Les Origines de l'Histoire*, t. I, c. VIII, *Le Déluge*, facile invenies, neque noxium pronuntiabis, neque maximæ utilitatis expertem.

Primum locum occupat Herodotus : is enim meminit de ea quam conscripsit, Assyriorum historia (1), et quæ temporum injuria amplius non exstat : dolendum certe, nam quemadmodum in Ægypto, ita in Chaldæa plurima curiose ac sapienter observavit. Illi tamen consuetum erat potius popularia dicta quam nudam rerum veritatem sectari et tradere, imo narrationum et quidem facetarum seriem potius quam veri nominis chronologiam conscribere, uti facile perspicies ex subjectis regum nominibus quæ commemoranda suis in libris dijudicavit :

Semiramis I, 184.
Sanacharib II, 141.
Nitocris I, 185.
Labynetus I, 188.
Cyrus ac dein Persarum reges, I, 191.
Meminit præterea de *aliis regibus Babyloniæ plurimis*, I, 184.

Ctesias, Artaxerxis Mnemonis medicus, vix historicus hodie audit. Quamvis enim sæpissime ad arcana regum tabularia in *Persicis* suis provocet, istum tamen omnino fide indignum omnes nunc fatentur : Medorum enim scribens historiam, neglectis quæ præsto erant documentis, maluit Herodoti dicta simul excerpere atque pervertere (2). Hac ratione tradidit Niniven a Medorum principe Arbace, ac Babylonio Belesi eversam, regnante Sardanapallo : sed ad tempus necnon ad personas quod attinet, turpiter errasse expedite convincitur.

(1) Herod., l. I, n. 184.

(2) Cf. Schrader, *Keilinschriften und Geschichtsforschung*, Append.

Assyriorum enim regnum, uti cum Abydeni narratio tum ipsa cuneatæ scripturæ monumenta aperte declarant, regnante Assaraco seu *Asshur-ahi-iddin II°*, a Babylonio *Nabu-abla-utsur*, græce Nabopolassar, et Medorum rege Cyaxare seu *Uvahsatara*, deletum est (1).

Pariter qua indole Ctesias insignierit ultimum Assyriorum regem, Sardanapallum, omnibus notum est ; attamen nihil est a veritate magis alienum uti fateri coguntur quicumque inscriptiones *Assur-ahi-iddin II*[i] aut etiam *Assur-apla-iddin* vel summatim attigerunt. Igitur ab isto fabularum conscriptore minime est veritas exquirenda.

Diodorus Siculus, præterquam quod præcedentium vestigia persecutus est, etiam errantium, historiam veri nominis haudquaquam conscribere intendit; de Assyriis plura quidem scitu utilia lepide edisserit, sed potius desiderio enarrandi quæ observaverit, quam ad promovendam rei chronologicæ scientiam. Allatum tamen ab eo regum Assyriorum laterculum subjiciendum duximus :

Ninives et Babylone regnaverunt :
Ninus, l. II, 1.
Semiramis, II, 6.
Ninyas, II, 21.
Post generationes XX, XXI.
Teutamus, II, 22, anno millesimo ante bellum Trojanum.
Post generationes X, II, 23.
Sardanapallus, II, 23.
Annorum summa *mille et trecentos* excedit, II, 21.
Babylone dein imperat *Belesys*, II, 24, sub Medorum auctoritate.

(1) Cf. cuneatas inscriptiones apud Eb. Schrader, *Keilinschriften und Geschichtsforschung*, p. 517-520; Abyden. apud Euseb., *Chron. Can.* I, 9.

Quædam nunc parum credulus de Chaldæorum chronologia subjicit his verbis : Περὶ δὲ τοῦ πλήθους τῶν ἐτῶν ἐν οἷς φασιν τὴν θεωρίαν τῶν κατὰ τὸν κόσμον πεποιῆσθαι τὸ σύστημα τῶν Χαλδαίων, οὐκ ἄν τις ῥαδίως πιστεύσειεν· ἐτῶν γὰρ ἑπτὰ καὶ τετταράκοντα μυριάδας καὶ τρεῖς ἐπὶ ταύταις χιλιάδας εἰς τὴν Ἀλεξάνδρου διάβασιν γεγονέναι καταριθμοῦσιν, ἀφ' ὅτου τὸ παλαιὸν ἤρξαντο τῶν ἄστρων τὰς παρατηρήσεις ποιεῖσθαι (1).

Perpauca tandem quæ reperire est in Hippolyti Philosophumenis necnon apud Helladium, et Hyginum, imo hos ante apud Damascium, potius ad Chaldæorum philosophiam ac cosmogoniam evulgandam quam ad historiam juvandam quidquam contulisse dicenda sunt.

Igitur Berosus fere unice audiendus est : at tres ejus libri non fortunam eamdem experti sunt, licet singulorum potior pars temporum injuria perierit.

Libro primo rerum omnium originem et mundi ordinationem tradebat : in quo consequenter de diis, de primis hominibus ac quo pacto ii fuerint paulatim mansuefacti et exculti beneficio piscis portentosi formam tum hominis cum belluæ referentis, fusius disserebat. Quorum nonnulla, a variis scriptoribus ad nos usque præservata, cum documentis, cuneatis, uti aiunt, exaratis characteribus, perbelle consonant.

Libro secundo evolvebat eventus varios ac res gestas a regum priorum tempore usque ad ætatem Nabonassar Babyloniorum principis, imo fortasse usque ad ipsum Nabopolassar; cui plurima inseruerat scitu haud inutilia de diluvio, de opificio

(1) Diod. Sicul., *Biblioth.*, l. II, n. 31.

turris, de hominum dispersione, de regibus seu patriarchis decem diluvium consecutis. His vero absolutis, reges singulos enumerabat qui Chaldæis et Babyloniis imperitaverant : cujus libri quæ hactenus supersunt fragmenta, apprime cum monumentis consentiunt. Valde dolendum tamen, ab iis qui Berosum exscripserunt, plurima nomina omissa fuisse ita ut ex iis vix subjectam tabellam texere possimus.

Tertio libro, cætera Babylonica tradebat usque ad Alexandrum Magnum, uti apud Eusebium asserit Alexander Polyhistor (1).

CHALDÆORUM REGUM

laterculus ex Berosi fragmentis excerptus.

Ante diluvium reges X : *Alorus;* conj. Delitzsch, babyloniace *A-luru*, homo, אדם? conj. Lenorm. *Adi-uru*.
Alaparus;
Almelon; conj. Del. *Amilu*, homo, אנוש.
Ammenon; conj. *Amil-Anu*, servus Anu.
Amegalarus; conj. *Amil-uru-gal*, servus Uru-gal.
Davonus;
Edoranchus; conj. *Ubara*...
Amemphsinus; conj. *Amil-Sin*, servus Sin.
Otiartes, *Ubara-Tutu*, servus Tutu seu Marodaci.
Xisuthrus, *Zi-?.*; alii legunt *Hasis-adra*.

(1) Euseb. *Chron.*, ed. Maï, p. 19 et seqq.

Post diluvium	*Euechous*, *Chomasbelus*, 84 reges	regnaverunt annos 34080.	
	8 Medici principes,	sec. Sync. 190; sec. Eus.	224
	11 reges,	sec. amanuens. 48	.?.
	49 Chaldæi		458
	9 Arabes		245
	45 reges Assyrii		526
	Phulus, seu assyriace *Pulu*		...
	Senacharibus, seu *Sin-ahi-irba*		81
	Hagisas / *Merodach-Baladan*, seu *Marduk-abla-iddin* / *Elibus*, *Belibus* seu *Bel-ibni*		3
	Asordanus, seu *Assur-iddin-* (*sumi*)		8
	Sammughes	*Salum-ukin*	21
	Sardanapallus	*Assur-ban-apli*	21
	Nabopalassarus	*Nabu-bal-ulsur*	20
	Nabucodrossor	*Nabu-kudur-ulsur*	43
	Amilmarudachus	*Amil-Marduk*	2
	Neriglisarus	*Nergal-sar-ulsur*	4
	Laborosarchodus	(*Bel*)-*labar-iskun* a. 0 m.	9
	Nabonedus	*Nabu-nahid*	17
	Cyrus	*Kuras*	9
	Cambyses	*Kambuzia*	8
	Darius	*Dariiavus*	36

« Deinde Xerxes cæterique Persarum reges (1). » Quæ quidem quam imperfecta sint et manca, imo certæ chronologiæ stabiliendæ imparia, nemo non videt ; attamen ea etiam anteponi debent universæ fragmentorum farragini ab Eusebio et Syncello e scriptoribus græcis traditorum (2) ; horum enim laterculi potius sarmaticum aut scythicum quam assyrium aut chaldaicum resonare videntur, uti ex subjecta statim tabula facile deprehendes.

(1) Euseb. *Chron.*, p. 263.

(2) Euseb. *Chron.*, p. 45 ; G. Syncell. *Chronogr.*, p. 92, 165.

ASSYRIORUM REGES

ab anno mundi 3216 ad annum 4675.

Ex Syncello (1).

1 Βῆλος 55
2 Νῖνος 52
3 Σεμίραμις 42
4 Νινίας-Ζάμης 38
5 Ἀρείος 30
6 Ἀράλιος 40
7 Ξέρξης 30
8 Ἀρμαμίθρης 38
9 Βήλωρος 35
10 Βαλαιὸς 52
11 Σέθως 32
12 Μαμυθὸς 30
13 Ἀσχάλιος 22 (al. Βασχάλεος)
14 Σφαῖρος 28
15 Μάμυλος 30
16 Σπαρθαίος 42
17 Ἀσκατάδης 38
18 Ἀμύντης 45
19 Βήλοχος 25
20 Βαλετόρης 30
21 Λαμπρίδης 30
22 Σωσάρης 20
23 Λαμπραὴς 30
24 Παννὰς 45
25 Σώσαρμος 22
26 Μιθραῖος 27
27 Τεύταμος-Τεύτανης 32
28 Τευταῖος 44
29 Ἀράβηλος 42
30 Χάλαος 45
31 Ἄνεβος 38
32 Βάβιος 37 - Τεύτανης II
33 •ιναῖος Thinæus 30
34 Δέρκυλος 40
35 Ἐνπάκμης 38 (al. Εμ...)
36 Λαοσθένης 45
37 Περτιάδης 30
38 Οφραταῖος 21
39 Ἐφεχερὴς 52
40 Ἀκραγανὴς 42
41 Θῶνος - Κονκόλερος - Σαρδαναπαλος - 15 - Θῶνος Κονκόλερος - Μακοσκόλερος - Θωνοσκονκόλερος.

Finis regni Assyriorum anno mundi 4675°.

(1) Sync. *Chronogr.*, p. 92.

CAPUT XI

Chaldæis necnon et Assyriis quæ media ad conscribendam historiam suppeterent.

Chaldæos certum est ab antiquis temporibus historica documenta curiose asservasse; narrant enim Eusebius ac Syncellus, auctore Beroso ἀναγραφὰς πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπὸ ἐτῶν που ὑπὲρ μυριάδων ιε′ (armen. *ducentis et quindecim!*) περιεχούσας χρόνον (1). Berosianos quidem numeros sive græci textus, sive armeniacæ versionis sponte mittimus uti qualibet seria consideratione prorsus indignos; exstitisse vero ab antiquis temporibus publica apud Chaldæos tabularia, nemo forsan hodie negabit, inventis nuperrime cum Chaldæorum tum Babyloniorum Assyriorumque bibliothecis. Præcipue variis e ruinarum tumulis in lucem prodierunt regia Ninivensis, et Sipparensis sacerdotalis bibliotheca.

Quæ posterior quam antiqua exstiterit, iis innuitur quæ narravit Berosus ; eo auctore, diluvio ingruente, jussu dei Ea, patriarcha « libros omnes terræ infossos, in Solis urbe Siparis posuit », atque

(1) Sync. *Chronogr.*, p. 28, B.; Euseb. *Chron. arm.*, ed. Maï, p. 8.

deinceps, cum « haud ultra se conspiciendum
» daret, voce tantum ex aere missa (cæteris homi-
» nibus) deos ut colerent mandavit; ... tum
» magnopere auctor iis fuit ut Babylonem redi-
» rent, et ex deorum mandato, qui in Siparis urbe
» conditi fuerant, libros effoderent, atque homini-
» bus traderent (1). »

Sane in Sipparensium civitate præ cæteris Chaldæorum urbibus a pluribus sæculis florebant litteræ et bibliothecarum studium; propterea, uti multis visum est, cæteris omnibus in Berosi fabula Sippar anteponitur.

Jam plures alias bibliothecas, et quidem a remotissima ætate conditas, recensere possemus; sequentes vero imprimis ab antiquo celebrabantur, tum librorum copia, cum conditorum nomine. Noli tamen, optime lector, appositos sæculorum numeros nobis vitio vertere : Chaldæorum, Babyloniorum et Ninivitarum traditiones referemus eo tantum consilio ut scire possis quid de iis bibliothecis sæculo octavo et nono ante Christum senserint.

In Chaldæa omnium primam ventilabant quam studio diligenti comparaverat rex *Sar-gi-na* in urbe *Akkad;* is autem, si cuneatis inscriptionibus fides habeatur, circa annum III MDCCC[um] regnavit.

(1) Euseb. *ibid.*, p. 15. Quid simile narravit Syncellus de terra *Seriadica*, in qua, imminente diluvio, Hermes trismegistus omnium scientiarum rudimenta, columnis hieroglyphicis characteribus insculpta, abdiderit (*Chronog.*, p. 40); idem legitur apud Indos in *Bhâgavata-Purâna,* necnon apud Josephum (*Ant. Jud.*, I, 2, 3) uti a Seth patriarcha jussu Adæ præstitum.

Dein, ex iisdem documentis, comperimus bibliothecam collectam fuisse a regibus *Ur-Kasdim*, cujus instrumenta circa res astrologicas præcipue versabantur (1) : qui reges ante annum II M^{um} exstitisse creduntur.

In alio Babyloniæ loco cui hodie nomen *Senkerch*, olim vero *Sippar* et *Larsa*, celebrabatur bibliotheca omnibus numeris absoluta, cujus laterculi ad religionem, historiam, grammaticam, mathesin necnon astronomiam spectabant.

Tardius quidem, sed diligentia haud impari, artem librariam Assyrii prosecuti sunt. Nam in præcipuis urbibus, *Assur* (hodie *Kileh-Shergat*), ac deinceps Kalach (*Nimrud*), bibliotheca regia comparata fuit quam circa annum DCCXX^{um} rex Sargon multum adauxit curante imprimis regio librario, cujus multis inscriptionibus appositum nomen legitur, *Nabu-Suqub-gina*. Hanc tandem transtulit Niniven *Sin-ahi-irba*, magnisque copiis ditavit *Assur-ban-apla*.

An papyracea aut pergamena volumina, quibus privatim sæpe usi sunt, in publicis bibliothecis usurparint, verisimile non fit : namque malebant sua mandare laterculis sive exsiccandis, sive igne coquendis : quod nisi fecissent, jamdudum scripta periissent, eversis bibliothecis, atque vastatis sæpius ferro flammisque Chaldæorum et Assyriorum urbibus.

Istorum vero laterculorum plus decem millia circa

(1) Liceat lectoribus in memoriam revocare Abraham, ab urbe Ur-Kasdim oriundum, uti rei astrologicæ prudentissimum ab Orientalibus semper habitum fuisse.

historiam versantur, perscriptorum adeo minutis characteribus ut oculorum aciem propemodo effugiant, quibus tum veterum, tum æqualium nobis prodita sunt facinora. Quo cæteroquin facilius res scribis cederet, præsto erant monumenta plurima.

Singuli enim reges in propriis ædibus, aut in templis ac præcipuis urbium ædificiis, prætereaque in publicis bibliothecis, non solum nomen suum, sed et res præclare gestas ac genealogias suas scripto mandata deponebant. Ut dictis fidem faciamus, et simul ostendamus quam secure possimus procedere, unam e pluribus subjici non inutile erit, genealogiam videlicet regis *Tukulti-apal-Esarra* Davidi æqualis :

Tukulti-apal-esarra... apal
Tegla-phalasar... filius

Asur-ris-isi.... Binbini sa
Assur-ris-isi, nepos

Mutakkil-Nusku...
Muttakkil-Nusku...

Aplu Kinu sa Assur-dân...
Pronepos Assur-dân...

Liblibbi sa Nineb-apal-ekur
Abnepos Nineb-apal-Ekur.

Hi omnes rexerunt Assyriam, ac multas reliquerunt ejusdem generis inscriptiones; imo nonnulli, uti Sargon ille, de quo jam supra meminimus, annales suos quatuordecies diversis in locis scripto mandarunt.

Neque his contenti, quatuor ædium angulis fictilia prismata cuneatis plurimis inscripta, quan-

doque etiam aureas, argenteas, marmoreasque laminas, uti idem rex Sargon, humare soliti erant. Quæ, *temen* nomine insignita, adeo sacra verendaque habebantur ut divis devoveretur quicumque ea invadere ausus esset, his verbis :

Sa temenia inabbu isapanu ana me inadû ina
Qui temen-mea destruat, exsufflet, sub aquis subducat, in

isati ikallû ina epiri ikatamu ina asar la amari
flammis concremat, sub terra occultet in loco in-viso

pisiris inakimu sum sadhra ipasidhuma
ad-interpretandum posuerit nomen scriptum eraserit-et

sumsu isadharuma... Anu u Assur ilani rabuti
nomen-suum inscripseritque, Anu et Assur, dii magni,

beliia izziz likalmusuma arrata marusta
domini-mei, fortiter noceant-ei-et maledictione dira

lirurusu sarrus'u liskipu kus's'a sarrutisu
maledicant-ei, regnum-ejus destruant, sedem regni-ejus

lis'uhu habbi biludisu luballu kakki-su lusabbiru
exsufflent, copias ditionis-suæ dissipent, arma-ejus confringant,

hapikti ummanisu liskunu ina pau nakirisu
cladem exercitus-ejus instituant, ante faciem inimicorum-ejus

kasid lusesibusu.... sumsu zirsu ina mati
devictum ponant-eum,... nomen ejus, stirpem ejus in terra

luhallik
eradat.

(*Inscr. Teglatphalasar.*)

Olim quidem reges, ædibus non tanta luxuria exstructis, nihilominus *temen* nomine suo ac diversis titulis, genealogia, etc., insignitum humare non omittebant : exstant hodie istiusmodi permulta ingentis clavi fictilis formam referentia, variis obducta inscriptionibus, jam a tempore primorum

regum repetenda, *En-temena*, *En-ana-nigin*, *Ri-nitani*, etc.

Illis publicis documentis utebantur historicarum tabularum conscriptores; sed insuper præsto erant eis, atque nobis præsto sunt scripta privati juris, numero quasi infinito, uti annotationes, contractus, etc., quibus accurate dies et annus appositi fuerunt. Jam his in monumentis diversa ratio tempora computandi deprehenditur : aut enim indicant quotus sit annus principis regnantis; aut mensi et diei subjiciunt nomen annui magistratus dicti lingua Assyriorum *limu*, aut etiam diversis æris utuntur; harum vero cum hucusque nullus inventus sit laterculus quo seriem explorare possimus, usus non est nobis ita commodus.

Denique his addenda sunt documenta quibus plura simul regna descripta fuerunt, vel chronologica schemata, videlicet tabulæ regales, consulares, et synchronicæ.

Tabulæ synchronicæ exponunt res gestas ab Assyriis contra Babylonios, delibata proinde regni utriusque perbrevi historia : quæ tamen cum multis e fragmentis constant quorum magna pars hucusque non comparuit, cæterorum monumentorum ope harum rimas explere necesse est.

Tabulæ consulares, singulis annis apposito nomine adauctæ, duplicis sunt generis : aliæ enim exhibent laterculum consulum, separato regis uniuscujusque regno interversa linea; aliæ vero nomini consulis eventum anni præcipuum subjicere non omittunt, uti ex sequentibus facilius discere poteris :

I. Consules imperante Sar-ukin seu Sargone.

Sar-ukin sarru, Sargon rex	*Adar-alik-pan*
Zir-bani	*Samas-bil-ulsur*
Tab-sar-Assur	*Mannuki-Assur-lih*
Tab-tsil-Asar	*Samas-upahar*
Takkil-ana-bil	*Sa-Assur-dubbu*
Istar-dur	*Mutakkil-Asur*
Assur-baui	*Sin-ahi-irba sarru*, Sennacherib rex.
Sarru-emurauni	

II. Consules imperante Salmanasar II°.

Salmanuasir sarru ana mat Urarti
Salmanasar rex — Contra Armeniam (bellum).

Samsi-ilu turtanu ana mat Urarti
Samsi-ilu tartan — Contra Armeniam.

Marduk-lidanni rabbi lub ana mat Urarti
Marduk-lidanni eunuchis præpositus? — Contra Armeniam;

Bil-mustesir rab ekal ana mat Urarti
Bil-mustesir major domus; contra Armeniam;

Nabu-ittakal tukulti ana mat Itu'
Nabu-ittakal consiliarius; contra Itu;

Pan-Asur-la-habal sa mat ana mat Urarti
Pan-Asur-la-habal præfectus; contra Armeniam;

Nirgal-issis sa mat Ratsappa ana mat erini
Nirgal-issis præfectus Ratsappæ; contra *terram cedrorum*;

Istar-dur sa ali Natsibina ana mat Urarti mat Namri
Istar-dur præfectus Natsibinæ; contra Armeniam Namri;

Mannuki-Bin sa ali Salmat ina mati ana ali Dimaska
Mannuki-Bin præfectus Salmat, in regione; contra urbem Damascum.

Quæ tamen series hodie ultra annum DCCCC[um] retro non repetitur; attamen ex cæteris documen-

tis certo certius est Assyrios annuis consulibus jam usos esse a sæculo ante Christum XV° ut diem annumque monumentis apponerent.

Ad ulteriora autem tempora exploranda, præsto sunt regales genealogiæ ita traditæ ut ad sæculum usque XV^um^ *nullus* catenæ annulus deficiat : quibus sæpe adjectæ sunt chronologicæ adnotationes, annos inter duo extrema elapsos sedulo colligentes; quarum præcipuas commemorandas duximus :

Inter *Marduk-kudur-ulsur* et *Assur-ban-apli*	elapsi sunt anni	CCCCXVIII (1).
» *Tukulti-apal-esarra I* et *Sin-ahi-irba*	»	CCCCXVIII (2).
» *Assur-daan* et *Tukulti-apal-esarra I*	»	LX (3).
» *Tukulti-Ninip* et *Sin-ahi-irba*	»	DC (4).
» *Kudur-Nanhundi* et *Assur-ban-apli*	»	MDCXXXV (5).

De regiis vero laterculis seorsim agendum erit, eo quod multum ad solvendam propositam quæstionem indubitato conferunt.

(1) Ménant, *Annales des rois d'Assyrie*, p. 236.

(2) *Ibid.*, p. 52.

(3) *Ibid.*, p. 30.

(4) *Ibid.*, p. 28.

(5) *Ibid.*, p. 269.

CAPUT XII

Chaldæorum regales laterculi.

Ex diversis quos præmisimus Berosi, Eusebii ac Syncelli laterculis, haud ægre intelligitur rem historicam densis jamdudum involutam esse tenebris. Diu exspectatum est donec authentica monumenta prodirent ; hæc vero tenebras quidem discutere cœperunt, hucusque tamen nondum plene pulsa est caligo. Hoc unum evidenter colligitur : scilicet ætatem post diluvium sacris Litteris descriptam, si verbis et litteris sit serviendum, contractiorem videri quam ut historiæ Chaldaicæ intra hos fines locus detur : ea autem quam lato spatio amplius indigeat, nostri instituti determinare non est.

Primus regius laterculus e ditissimo Britannici Musæi thesauro, anno 1873°, a viro clarissimo G. Smith depromptus fuit. Is repertis laterculis eo gaudio aut studio perfusus est ut hos statim evulgaverit magnificentiori fortasse titulo : *On fragments of an inscription giving part of the Chronology from which the canon of Berosus was copied* (1).

(1) Transactions of the *Society of Biblical Archæology*, t. VIII, part. II, p. 361.

Obversus laterculus A.

I.	II.	III.
Lineæ XXX perierunt	Lineæ erasæ XXVIII	
ner in-ak *an nigin*	*ni-ni* *illal-abil-su* *mul-agu-nuna* *abil-kisu*	Lineæ erasæ LX
Lineæ XXX deperditæ	Lineæ erasæ XXVIII	

Reversus laterculus A.

VI.	V.	IV.
	Lineæ erasæ XXVII	Lineæ erasæ XXVIII
Lineæ erasæ LX?	*Simmassihu* *Ea-mukin-ziri* *Kassu-nadin-ahu* (E)*ulbar-surki-iddina* ( ) *kudur-utsur* ( ) *sukamuna*	*Sumu* *Zabi* *Abil* *Sin*
	Lineæ erasæ XXVII	Lineæ erasæ XXXIII

Hæc tabula, quam littera *A* designavimus, sex columnis constabat, tribus scilicet obversa, tribus reversa pagina, at miserrime confractis aut erasis, ita ut vix legi valeant. Olim vero, uti cum e minutissimis characteribus, tum e partibus integris nullo negotio conjicitur, nomina regum sexa-

ginta referebant columnæ singulæ; nunc autem vix viginti superesse statim videbis.

Columnæ prioris *ner inak an-nigin* interpretabatur Smith... *neros regnavit... simul...* Ex quo inferebat hic agi de mythicis Berosi regibus quorum diutina regna *neris*, id est cyclis annorum IIIMDC supputabantur. Hoc enim pacto Chaldæi longævam patriarcharum vitam referebant. Columnæ quarta et quinta, loco medio, X regum nomina aliis monumentis jam cognita tradebant.

Non ita multo post, anno 1880°, ex eodem Musæo, prodidit vir clarus Pinches alterum ejusmodi laterculum quo XXII regum nomina asservata erant; hunc littera B indicabimus.

Laterculus B.


Sumu-abi	regnavit annos	XV		
Sumulan	»	XXXV		
Zabu	»	XIV		
Abil-Sin	»	XVIII		*Iskipal*
Sin-muballidh	»	XXX		*Sussi*
Hammurabi	»	LV		*Gulkisar*
Samsi-iluna	»	XXXV		*Kirgal-daramas*
Ebisum	»	XXV		*Adara-kalama*
Ammi-salani	»	XXV		*Akur-du-ana*
Ammi-saduga	»	XXI		*Melam-kur-kura*
Samsu-salani	»	XXXI		*Ea-gaka*
XI sarrani apli TIN-TIR-KI (undecim reges filii Babylonis)				*Sarrani apli SES-HA* (reges filii SES-HA in Babylonia.)

Uti primo intuitu perspicitur, columna I[a] laterculi B eadem est atque columna IV[a] laterculi A; eodem enim ordine nomina perscripta sunt, plenius quidem in B, abbreviata vero pro Chaldæorum more in A.

Ineunte vero anno 1881°, evulgavit idem Pinches tertium laterculum multo melius cæteris præservatum, e quatuor columnis constantem, duabus scilicet in utraque laterculi facie; quem littera C significabimus.

Omnes reges his inscripti, anteriores certe jurgiis inter Assyrios Babyloniosque exortis fuerunt, nam in tabulis synchronicis res a sæculo XVI° contra Babylonios gestas enarrantibus, nullus eorum nominatur. Illinc vero in laterculo C rex Hammurabi qui circa secundum millenarium regnavit, jam memoratur. At inter duo hæc extrema, quomodo tot reges locum invenire potuerint quot laterculus describit, plane non videmus : subodoramur proinde hic enumerari, nullo forsan ordine, reges dynastiarum coæqualium ; ne igitur in errandi periculo versemur, a laterculo C in usum adducendo consultius æstimamus abstinendum.

Denique, anno 1884°, ultima prodiit regalis series, ab eodem viro clarissimo Pinches edita, ter inde de scientiis historicis bene merito : hæc autem, quam consequenter littera D significabimus, integra fere existit ; aut saltem quatuor partes majoris momenti quæ in ea desiderantur, haud ægre cæteris monumentis expleri possunt. Dynastias ac reges singulos enumerat laterculus D, instituto post unamquamque dynastiam brevi summario, numeris





Laterculus D obversus.

I.

(*a*) Erasæ lineæ XI

— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —

.....XI reges filii Bab...

...I	*Anmaan*
LV	*Kiannibi*
XLVI	*Damki-ili*
XV	*Iski*
XXVII	*Sussu-ahu*
LX	*Gulki*
L	*Kirgal*
XXVIII	*A-dara*
XXVI	*Ekur-du*
VI	*Melamma*
IX	*Ea-ga*

anni CCCLXVIII, reges XI filii *SES-HA*.

XVI	*Kandis*
XXII	*Aguumse*
XXII	*Guiase*
X	*Usse*
....	*Adumelik*
....	*Tas-zi-umas*
....	....*u*. . .

Erasa linea I

II.

(*b*) Erasæ lineæ XIII

— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —
— — —

XXII	— — —
XXVI	— — —
XVII	— — —
II	*Ka-as....*
VI	*Gis-amme...ti*
XIII	*Sagarak....*
VIII	*BI-BAT*
I, m. VI	*Bel-nadin-sumi*
I, m. VI	*Kara-mur-us*
VI	*Ramman-nadin-sumi*
XXX	*Ramman-sum-natsir*
XV	*Meli-sihu*
XIII	*Marduk-abla-iddin*
I	*Zagaga-sum-nadin*
III	*Bel-sum....*

anni DLXXVI, menses IX, reges XXXVI....

XVII	*Marduk....*
VI	*M....*

Laterculus D reversus.

IV.

— — —	*sa* — —
— — —	*Nabu-sum-iskun*
— — —	*Nabu* —
II	*Nabu-nadin-ziri*
I, m. XII d.	*Nabu-suma-ukin*

reges XXXI filii Babylonis.

III	*Ukin-zira*
II	*Pulu*
V	*Ululaâ*
XII	*Marduk-abla-iddin*
V	*Sarru-ukin*
II	*Sin-ahi-irba*
I m.	*Marduk-zakir-sumi*
IX m.	*Marduk-abla-iddin*
III	*Bel-ibni*
VI	*Assur-nadin-sumi*
I	*Nergal-usezib*
IV	*Musezib-Marduk*
VIII	*Sin-ahi-irba*
— —	*Assur-ahi-iddin*
— —	*Samas-sum-ukin*
— —	*Kandal*

(a') Erasæ lineæ XXII

— — —

III.

Erasæ lineæ IV

— — —

— — —

— — —

XXII	— — —
I, m. VI	*Marduk-BAT*
XIII	*Marduk-zira*
IX	*Nabu-zira-iskun*

anni LXXII, menses VI, reges XI filii PA-SE.

XVIII	*Simmas-sihu*
m. V	*Ea-mukin-ziri*
III	*Kassu-nadin-ahi*

anni XXI, menses V, reges III filii maris.

XVII	*E-ulbar-sakin-sumi*
III	*Ninib-kudur-utsur*
m. III	*Silanim-sugamuna*

anni XX, menses III, reges III filii Bit....

VI rex — — —

XIII — — —

menses VI, dies XII —

(b') Erasæ lineæ XXIV

— — —

— — —

— — —

regum et annorum, necnon et origine regiæ stirpis sedulo adnotatis. Hoc instituto dynastias novem, reges vero CXXIII usque ad *Nabu-abal-utsur* patrem *Nabu-kudur-utsur* seu Nabuchodonosor continua serie commemorat; rimis igitur expletis, quod cæteroquin nullo labore præstari potest, non quidem ab exordio chaldaici imperii, sed ab anno IIMCCCC° regum nomina repetit. Laterculum nostrum, propter peculiarem excellentiam, subjiciendum curavimus cum cuneatis signis, tum occidentalibus litteris necnon et latina versione donatum.

Omissis minoris momenti defectibus, breviter de his verba faciemus quos litteris *a*, *b*, *a'*, *b'*, signavimus.

Uti cuique intuenti patet, lineæ erasæ *a*) nullo negotio, ope laterculi B, I, expleri possunt : clausula enim dynastica eadem in utroque documento deprehenditur. *(X) I reges filii TIN-TIR-KI (Babylonis);* et quæ sequuntur nomina in laterculo D, optime cum laterculo B, II, consonant.

Litteræ erasæ *b*) hucusque suppleri non quiverunt; vix tamen doleas, nam ex apposito dynastiæ summario discimus indubitanter XVIII regum nomina periisse; sublatis namque ex XXXVI regibus summario commemoratis XVIII qui præservati sunt, colligitur XVIII quoque erasos fuisse; quorum annos in solidum eadem ratione deprehendes CCCXLIII; seu, pro singulis regibus mediam annorum XX supputationem.

Defectus *b'*) paulo subtilius expleri debet : ex summario, discimus XXVII nomina deesse. At

miserrime eidem summario deest consueta summa annorum. Conjectionibus proinde utendum est. Missis duabus prioribus dynastiis, quæ propter antiquorum longævitatem potius certe veritati inveniendæ obessent, communem uniuscujusque regni rationem e cæteris dynastiis conficiamus.

III	dynastiæ	regnaverunt	reges	XXXVI,	annos	DLXXVI,	menses	IX;
IV	»	»	»	XI,	»	LXXII,	»	VI;
V	»	»	»	III,	»	XXI,	»	V;
VI	»	»	»	III,	»	XX,	»	III;
VII	»	»	»	I,	»	VI,		
VIII	»	qui supersunt	»	V,	»	XXIX,	»	VIII;
IX	»	qui supersunt	»	XVI,	»			

Summa regum LXXV; an. DCCCXXXII, » V;
Singuli ergo regnaverunt annos XI ac mensem I.

Hinc autem numeros qui dynastiæ VIII[æ] desunt facile explere poteris, ita ut summatim clausulam annorum CCCXVII, mensium X apponere valeas.

Defectus denique *a'*) permultorum monumentorum ope nullo negotio expleri potest : majoris brevitatis causa unicum astrologi Ptolemæi canonem indicabimus contra quem nemo certe dubium movere audebit (1).

His opibus suffulti laterculum D restituendum duximus forma sequenti ; quos apposuimus annorum numeros, eos nullo labore nullaque errandi formidine obtinuimus sumpto numerandi principio ab aera Nabonassari seu *Nabu-natsir* quæ, ad tempus quod attinet, jamdudum extra omnem suspicionem posita est.

(1) Cf. de illo canone Petavium, *de Doctrina temporum*, t. II, p. 69-71.

Laterculus D restitutus.

Anno ante Christum	Regum nomina.
	Iᵃ DYNASTIA FILIORUM TIN-TIR-KI
2409	*Sumu-abi*
2394	*Sumula-ilu*
2359	*Zabu*
2345	*Abil-Sin*
2327	*Sin-muballidh*
2297	*Hammurabi*
2252	*Samsi-iluna*
2217	*Ebisum*
2192	*Ammi-satana*
2167	*Ammi-sadugga*
2146	*Samsu-satana*
	XI reges, CCXCIV anni.
	IIᵃ DYNASTIA FILIORUM SES-HA
2115	*Anmaan*
2064	*Kiannibi*
2009	*Damki-ilu-su*
1963	*Iskipal*
1948	*Sussi-ahu*
1921	*Gulki-sar*
1866	*Kirgal-daramas*
1816	*Aa-dara-kalama*
1788	*Ekur-du-ana*
1762	*Melamma-Kurkura*
1756	*Ea-gamil*
	XI reges, CCCLXVIII anni.
	IIIᵃ DYNASTIA FILIORUM KASSI
1747	*Kandis*
1731	*Agum-si*
1709	*Guiasi*
1687	*Ussi*
1679	*Adu-melik*
1655	*Tas-zi-umas*
1635	Reges XVIII ignoti nominis
1270	*Ka.....*

Anno ante Christum	Regum nomina.
1268	*Gisammeti*
1262	*Sagarak.....*
1249	*Bi-Bat?*
1241	*Bel-nadin-sumi*
1240	*Kara-murus*
1238	*Ramman-nadin-sumi*
1232	*Ramman-suma-natsir*
1202	*Meli-sihu*
1187	*Marduk-abla-iddin*
1174	*Zagaga-suma-iddin*
1173	*Bel-sum....*
	XXXVI reg., DLXXVI an., IX mens.
	IVᵃ DYNASTIA FILIORUM ....
1170	*Marduk....*
1153	Reges VII ignoti nominis
1120	*Marduk-bel....*
1119	*Marduk-zira*
1106	*Nabu-nadin*
	XI reges, LXXII anni, VI menses.
	Vᵃ DYNASTIA FILIORUM MARIS
1097	*Simmas-sihu*
1079	*Ea-mukin-ziri*
1079	*Kassu-nadin-ahi*
	III reges, XXI anni, V menses.
	VIᵃ DYNASTIA FILIORUM BIT-BAZI
1076	*Eulbar-sakin-sumi*
1059	*Ninib-kudur-utsur*
1056	*Silanim-sugamuna*
	VIIᵃ DYNASTIA FILIORUM ELAM
1055	Rex ignoti nominis regnavit annos sex.

Anno ante Christum	Regum nomina.
	VIII[a] DYNASTIA FILIORUM BABYLONIS
1049	XXVII reges ignoti nom.
759	*Nabu-suma-iskun*
747	*Nabu-natsir* seu *Nabonassar*
733	*Nabu-nadin-ziri*
731	*Nabu-suma-ukin*
	XXXI reges, CCCXVIII anni.
	IX[a] DYNASTIA FILIORUM ASSUR
731	*Ukiṇ-zira*
728	*Pulu*
726	*Ululâa*
721	*Marduk-abla-iddin*
709	*Sar-ukin*
704	*Sin-ahi-irba*

Anno ante Christum	Regum nomina.
702	*Marduk-zakir-sumi*
702	*Marduk-abla-iddin*
702	*Bel-ibni*
699	*Assur-nadin-sumi*
693	*Nergal-usezib*
692	*Musezib-Marduk*
688	*Sin-ahi-irba*
680	*Assur-ahi-iddin*
667	*Samas-sum-ukin*
647	*Kandalanu*
625	*Nabu-abla-utsur*
604	*Nabu-kudur-utsur*
561	*Amil-Marduk*
559	*Nergal-sar-utsur*
555	*Nabu-nahid*
	XXI reges, CLXXVI anni.

CAPUT XIII

Laterculorum Chaldæorum veracitas indirecte demonstratur.

Quæstio gravissima inde statim suboritur, videlicet quamnam mereatur fidem laterculus D, cujus rimas tanta diligentia explendas suscepimus.

Facile enim in suspicionem veniunt scientiæ quælibet recenter exaratæ, quæ a paucissimis addiscuntur et quasi clanculum ac dissimulanter traduntur, præsertim si ex iis deducantur conclusiones aut inopinatæ, aut inveteratis plurium præjudiciis, imo opinionibus communibus non ita expedite consonantes.

Tu sane, optime lector, ex iis non es qui quæcumque ignorant blasphemant : neque magici carminis scripturam aut diabolicas artes suspicaris in characteribus babyloniis, ægyptiacis, zendicis, et his similibus. Sed putas forsan documenta nostra esse commentitiis antistitum babyloniorum lucubrationibus referta, aut saltem ea existere quorum testimonio prudenter inniti non possimus, in dirimendis controversiis quæ circa chronologiam biblicam agitantur.

Nunc ergo laterculos nostros a suspicionibus

vindicabimus, et via quidem duplici : indirecta, adaperiendo consuetam documentorum assyro-babyloniorum veracitatem ; directa vero, demonstrando, prouti fieri poterit, reges singulos quorum seriem babylonii canones exhibuerunt, haudquaquam esse fictitios, sed revera imperasse qua ætate laterculis nostris traditur.

Jam ex his quæ supra retulimus, capite XII°, pronum est concludere, quod cæteroquin operis nostri progressu abundantius patebit, cum Assyriis tum Babyloniis copiose suppetiisse quæcumque ad veram ac fide dignam chronologiam intexendam essent necessaria : uniuscujusque regis annales debito tempore conscribebant, cura asservabant diligentissima, in templis, aut bibliothecis, aut in imis fundamentis regalium ædium : his omnibus custodem addebant religionem, deorumque teterrimam vindictam ; ad quæ etiam recolligenda, si opus esset, ac denuo in lucem producenda, neque ab impensis, neque a laboribus plurimis refugiebant : rati sese de diis necnon et hominibus bene meritos, si præteritorum sæculorum memoriam conservassent (1). Legatur hac de causa quanta perpessus sit *Nabu-nahid*, infra referendus (2), ad

(1) Inspiciatur clausula libris singulis apposita : « Palais d'Assur-» ban-apal, roi des légions des Peuples, roi d'Assyrie, à qui le dieu » Nabu et la déesse Tasmit ont donné des oreilles attentives et des » yeux ouverts pour voir les récits des écrivains de mon royaume que » les rois mes prédécesseurs ont employés. Dans mon respect pour le » dieu Nabu, le dieu de l'intelligence, j'ai recueilli ces tablettes, je » les ai fait écrire, je les ai signées de mon nom, et je les ai déposées » dans mon palais. » Ex versione J. Ménant, *la Bibliothèque du palais de Ninive*, p. 32.

(2) Cf. infra, p. 196.

requirendas inscriptiones regum veterum uti Sagaraktias, Zabu, Ur-Engur et Naram-Sin!

Quid obtigerit tam diligentibus antiquæ historiæ exploratoribus, paucis statim exponam.

Acerrima invidia primo impugnati sunt, quia eorum monumenta nonnunquam Herodotum, sæpius Ctesiam et Diodorum erroris aut mendacii coarguebant. At Græci scriptores uti e contradictionibus propriis colligendum erat, Orientales plagas de quibus verba faciebant, sæpe minime viderant, barbarorum linguas addiscere negligebant, et narrationibus fide dignis mythos plus minusve lepidos, imo quandoque plus minusve ridiculos antehabebant. Audi Herodotum fabulas Rampsiniti et Pheronis graviter enarrantem; Diodorum Niniæ effeminati, et Semiramidis in columbam versæ, Sardanapalli rogum conscendentis; et quid de istis sit sentiendum brevi noveris.

Proinde non quidem a Græcis, sed e libris pariter a viris Orientalibus conscriptis, præsertim e Biblia, inscriptionum nostrarum veracitas dijudicanda est; nam Hebræi cum Assyriis et Babyloniis sæpe consuetudinem junxerunt, uti omnibus notum est. Jam vero adeo accuratus inter Bibliam et inscriptiones deprehenditur consensus, ut ipsis rationalistis admirationem moveat; audi Eberhardum Schrader, qui licet parum faveat auctoribus inspiratis, eos tamen ut summe veraces agnosceret, inscriptionum testimonio adductus est: « Nur einige wenige Ungenauigkeiten hatten » wir anzumerken (betr. z. B. den Namen des » Eroberers Samariens; sowie den anderen des

» Koenigs Phul-Tiglat-Pileser). Es gilt dieses
» insonderheit bezüglich der Gleichzeitigkeit ge-
» wisser Ereignisse. In der Bibel werden Ahab
» und Benhadad als zwei gleichzeitig herrschende
» Fürsten erwaehnt : Salmanasar II führt dieselben
» in seinen Inschriften neben einander auf. Jehu
» und Hazael erscheinen in der Bibel als Zeitge-
» nossen — nicht minder dieses auf den Monu-
» menten. Uzia (Azariah) und Menahem regieren
» nach der Bibel wesentlich zu der gleichen Zeit,
» nur erscheint Uzia als der aeltere; genau so
» führen die Inschriften Tiglat-Pileser's den Uzia
» und den Manahem als contemporaere Herrscher
» auf ; thuen jedoch des ersteren früher als des
» letzteren Erwaehnung, was abermals zum
» A. T. stimmt. Nach der Bibel herrschten Ahaz
» und Pekach gleichzeitig, nach welchem letzteren
» Hosea den Thron bestieg dem entsprechend er-
» waehnt Tiglat-Pileser in seiner spaetesten, etwa
» ein halbes Jahr vor seinem Tode verfassten, In-
» schrift des Jahukazi von Juda als seines Tribu-
» taers und berichtet anderwo die Succession des
» Hosea nach dem Tode Pekachs. Die Coincidenz
» der assyrischen und biblischen Angaben bezü-
» glich der Eroberung Samariens ist eine voellige.
» Die Berichte der Bibel und der Keilinschriften
» bezüglich des Zuges Sanherib's und der Invasion
» Judaea's entsprechen sich, bezw. ergaenzen sich
» in der erwünschtesten Weise. Was von Manas-
» se's Verhaeltniss zu Assyrien, der Zerstoerung
» No-Ammon's in der Bibel berichtet wird, er-
» haelt durch die Keilinschriften wie seine Bestae-

» tigung, so seine zeitgeschichtliche Beleuch-
» tung (1). »

His addere potuisset etiam quæ gesta sunt tempore magis remoto, ætate ipsius Abraham, et regis Elamitarum Chodor-lahomor : Cuduridas enim tunc in Elam regnasse et Asiæ occidentales tractus invasisse ex cuneatis inscriptionibus colligimus : biblici Arioch urbem et lateres, nomine *Eri-aku* conscriptos, hac eadem ætate invenimus, etc.

Paucula quæ nondum discussæ sunt nubes, singulis tamen diebus ab oculis nostris paulatim evanescunt : ipsius Phul regis, sæpe in dubium vocati, hodie nomen in babyloniis Chronicis legi potest. Nemo cordatus cæteroquin suspicabitur annales assyro-babylonios a Judæis fuisse concinnatos ea mente ut accurate cum biblicis testimoniis cohærerent ; neque facile sibi suadebit Chaldæos cum sacris auctoribus communicasse consilia : proinde eodem argumento evincitur tum Judæorum cum Chaldæorum ἡ ἀκρίβεια ; quæ quidem prorsus immerito ad ea restringeretur quibus Judæorum aut Assyriorum testimonia fidem faciunt : qui enim sæpius exploratus verax deprehensus est, cæteris in locis quæ explorari facile non possunt, falsarius injuste supponetur.

Ad eamdem conclusionem alia via pervenire possumus, et quidem magis directa ; ostendemus scilicet reges qui canone commemorantur, reipsa in Chaldæa imperasse, et ibidem reliquisse monu-

(1) E. Schrader, *die Keilinschriften und das Alte Testament*, 1ª ed., p. 303.

menta hucusque præservata : imo confines Assyrios quandoque prælio lacessivisse ; unde tum proprio, tum hostium testimonio concludetur merito illos canoni fuisse insertos. Deinde, et ad juris abundantiam, si qui reges expresserint quot effluxerint anni ab ætate cujuslibet e suis decessoribus, ostendemus cum isto authentico indicio laterculos nostros plane consentire. Sed quo facilius nobis necnon et lectoribus res succedat, et quia insuper diversis temporibus diversa suppetunt media ad veritatem stabiliendam, totam sequentem tractationem capitulis duobus absolvemus; sumpto enim discriminis principio ab æra Nabonassar regis, anno scilicet DCCXLVII°, partem canonis posteriorem utpote scrutanti magis apertam prius discutiemus ; deinde vero remotiora tempora succincte explorabimus.

CAPUT XIV

Laterculi D veracitas directe demonstratur a tempore regis Nabonassar.

Hac æra Nabonassar regis nihil magis tritum apud recentes, nihil vero apud Babylonios plus ignotum.

Syncellus asserit ab istius regis tempore motus astrorum fuisse diligentius a Chaldæis annotatos, imo principem hunc collegisse quæ de suorum decessorum facinoribus exstabant, collectaque delevisse, ut ab ipso regum Chaldæorum enumeratio inciperet : Ναβονάσαρος συναγαγὼν τὰς πράξεις τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων ἠφάνισεν, ὅπως ἀπ' αὐτοῦ ἡ καταρίθμησις γίνεται τῶν Χαλδαίων βασιλέων (1). Quibus ut fidem faceret, ad Alexandrum Polyhistorem necnon et ipsum Berosum provocat : jurene an immerito talia protulerit, affirmare non ausim, nam ipse Eusebius qui Alexandrum excerpsit, nil tale habet, cum de Nabonassar rege ne mentionem quidem injiciat. Cæteroquin sibimetipsi contradicere videtur Georgius noster, qui perlongam Chaldæorum seriem Nabonassaro anteriorum, referre non dubitavit (2).

(1) Sync. *Chronogr.*, p. 207, B.

(2) *Ibid.*, p. 92 et seqq.

Opinionem nulla ratione dissimilem Ptolemæo insigni Alexandrino astrologo affingunt, qui reipsa in *Magna Syntaxi* hæc scripsit : Εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Ναβονασσάρου βασιλείας... ἀφ' οὗ χρόνου καὶ τὰς παλαιὰς τηρήσεις ἔχομεν ὡς επίπαν μέχρι δεῦρο διασωζομένας (1). Utrum Ptolemæo, monumentis superius allegatis contradicentibus (2), debeamus assentiri, missum hic volumus ; sed scopum astrologi, quæso, ante oculos habeatis : is enim de observatis lunæ defectibus, minime vero de historicis eventibus verba facit : ne ergo conclusio latius quam præmissæ pateat, cavendum.

Jam, de lunæ defectibus quidquid sentiendum sit, ex monumentis certo anterioribus hucusque allatis et inferius referendis, certo deducere licet, exceptis fortasse astrorum observationibus, antiqua monumenta et historicas recordationes haudquaquam periisse, imo ipsos Babylonios æram Nabonassar regis penitus ignorasse : etenim cum temporibus sequentibus, tum anterioribus sæculis annos computabant sive ab initio regni uniuscujusque, sive ab eventu quolibet quem memoria dignum autumabant. Hujus agendi rationis tot sunt monumenta in testimonium adducenda quot asservati libelli, contractus, etc. Unum tamen alterumve seligimus :

> Mense Tebet, die XX[a], anno quo *Hammurabi* rex jussu dei Anu et dei Bel incessit et principem Elamitarum et regem *Eri-aku* debellavit (3).

Recordare, quæso, regem *Eri-aku*, filium

(1) *Magna Syntax.*, III, 6.
(2) Cf. supra, p. 133 et seqq.
(3) *Record of past*, t. V, p. 70.

Kudur-Mabug, regis *Elam-ti*, in urbe Larsa imperasse; et relege hunc Bibliæ versiculum, non uti in Vulgata, sed uti in hebraico textu conscriptus est :

Codorlahomor, rex Elam, ... et Ariok rex Ellassar... (Gen. XIV, 9).

Nonne eorumdem regum eadem nomina?

Mense Samna, die VII^a^, anno XL° *Nabu-kudur-utsur* regis Babylonis.

Primus in cuneatis inscriptionibus æræ certæ et communis usus deprehenditur in tabula regis Antiochi Soteris :

ina	*arah*	*ADAR*	*um*	*XX*	*sanat*	*XXXXIII*
in	mense	Adar,	die	XX^a^,	anno	XLIII°.

Is autem Antiochus regnavit annos XIX (281-262 ante n. Ch.), proinde non potest apponi annus istius XLIII^us^; sed reipsa annus XLIII^us^ æræ Seleucidarum eo regnante contigit, anno videlicet 269°.

His præmissis, ad explorandum laterculum opportune deveniamus licet, collatione dehinc instituta

I. — Cum canone Ptolemæi;

II. — Cum chronicis Babyloniis nuper inventis;

III. — Cum historicis sive privati, sive publici juris textibus.

§ I.

Laterculus D cum canone Ptolemæi confertur.

Quo accuratius astrologus ille insignis siderum defectus notaret, in opere supra laudato Magna Syntaxi, canonem regum quibus imperantibus conscriptæ fuerant astronomicæ observationes, e chaldaicis documentis traducendum curavit. Ejus canonem a permultis scriptoribus jamdudum evulgatum, hinc statim describemus, opposito illinc laterculo D quem suscepimus discutiendum.

Ναβονάσαρος	XIV	*Nabu-natsir*	...
Νάδιος	II	*(Nabu-)nadin-ziri*	II
		(Nabu-)sum-ukin	I mens. XII d.
Κίνζηρος καὶ Πῶρος	V	*Ukin-zira*	III
		Pulu	II
Ἰλουλαῖος	V	*Ululâa*	V
Μαρδοκέμπαδος	XII	*Marduk-abla-iddin*	XII
Ἀρκεανὸς	V	*Sar-ukin*	V
Ἀβασίλευτος Α΄	II	*Sin-ahin-irba*	II
		Marduk-zakir-sumi	I mens.
		Marduk-abla-iddin	IX mens.
Βήλιβος	III	*Bel-ibni*	III
Ἀπορανάδισος	VI	*Assur-nadin-sumi*	VI
Ιρηγέβαλλος	I	*Nergal-usezib*	I
Μεσησιμόρδακος	IV	*Musezib-Marduk*	IV
Ἀβασίλευτος β΄	VIII	*Sin-ahi-irba*	VIII
Ἰσαρίδινος	XIII	*Assur-ahi-iddin*	...
Σαοσδούχινος	IX	*Samas-sum-ukin*	...
Κινηλαδᾶν	XIV	*Kandal*	...

Habita ratione tum errorum qui amanuensibus exciderunt, tum modi quo Græci scriptores nomina barbara, uti aiebant, deturpare erant soliti, prima specie statim apparebit perfectus et continuus istorum documentorum consensus, sive quoad regum nomina, sive quoad annos regni uniuscujusque. Sequentia tantum paulo dilucidius explicanda censuimus.

I. — Ptolemæus, qua ratione nescio, in solidum junxit regna *Pori* et *Kinziri* : at ex numeris Babyloniis summam confieri eamdem perspicuum est.

II. — *Nabu-sum-ukin*, vel brevius *Sum-ukin*, sublato videlicet nomine divi Nabu (unde forma græcanica Sammughes), desideratur in Ptolemæi canone. At ex industria astrologus omnes reges omisit qui anno integro minus regnaverunt. In parte canonis inferiori a qua cæteroquin abstinuimus transcribenda, eadem de causa Smerdis cujus fraus menses VII tantum latuit, Xerxes II et Sogdianus qui simul menses IX regnaverunt (1), consulto prorsus omittuntur.

III. — Interregnum biennale loco regum *Sennacherib*, *Marduk-zakir-sumi* et *Marduk-abla-iddin*, qui successive annos duo regnaverunt, Ptolemæus conscribere non dubitavit. Præceps autem illa trium principum vicissitudo uti argumentum perturbatæ reipublicæ certe ducenda est; insuper quia invasis Chaldææ ditionibus ac devictis Babyloniis Sennacherib, qui erat Assyriorum rex,

(1) Cf. *Can. Eccles.* in Sync. *Chronogr.*, p. 200.

potius regni ereptoris quam regis nomen obtinuit, ideo ejus loco in canone legitur 'Αβασίλευτος α'; quod adeo verum est ut cum iste post annos XIV denuo Babylonem sibi subjicit, eodem pacto apud Ptolemæum legatur 'Αβασίλευτος ἄλλος.

§ II.

Laterculus D cum Babyloniis Chronicis confertur.

Tempore ferme eodem quo laterculum D, vir clarissimus Pinches e Britannico Musæo evulgavit concisiora quidem, sed valde accurata Chaldæorum Chronica, quibus res gestæ ab ætate Nabu-natsir descriptæ sunt (1). Hæc ab eodem fonte quo laterculus noster minime manasse sunt credenda, nam ubi duo dantur regis ejusdem varia nomina, alterum documento altero semper eligitur : dein multa perspiciuntur talia quæ manum diversam aperte prodant, uti ex sequentibus nullo negotio compertum habebis :

Laterculus D	Chronica
XIV *Nabu-natsir.*	*Nabu-natsir* ..... anno XIV° : Nabu-natsir in palatio moritur.
II *Nabu-nadin-zira*	*Nadinu,* filius Nabu-natsir... anno II° : inter seditiones occiditur.

(1) *Proceedings of the Society of Biblical Archeology,* 6th May 1884.

I mens. XII d. *Nabu-sum-ukin*	*Sum-ukin*, cui succedit post mensem I et dies XII
III *Ukin-zira*	*Ukin-zira* ..... anno III°, captus a Tukulti-apal-esarra.
II *Pulu*	*Tukulti-apal esara* ..... anno II°, mense Tebet, occidit.
V *Ululâa*	*Sulman-asarit* ..... anno V°, mense Tebet, occidit; post menses IV.
XII *Marduk-abla-iddin*	*Marduk-abli-iddin* ..... anno V° ...
V *Sar-ukin*	. . . .
	FRACTUS LATERCULUS.
II *Sin-ahi-irba*	. . . .
I mens. *Marduk-zakir-sumi*	. . . .

LATERCULUS D	CHRONICA, ALTERA TABELLÆ FACIE
IX mens. *Marduk-abla-iddin*	*Marduk-abla iddin* regionem vastat ....
III *Bel-ibni*	*Bel-ibni* ..... III° anno, captus a *Sin-ahi-irba*.
VI *Assur-nadin-sumi*	*Assur-nadin-sumi* ..... anno VI°, eum capit Hullusu rex Ilamti, et in ejus locum substituit
I *Nergal-usezib*	*Nergal-usezib* ..... post annum I, menses VI moritur.
IV *Musezib-Marduk*	*Musezib-Marduk* .....
VIII *Sin-ahi-irba*	..... regis *Sin-ahi-irba*; anno VIII° occidit Humba-haldasu rex Ilamti.
Asur-ahi-iddin	*Asur-ahi-iddin* ..... anno XII° occidit.
Samas-sum-ukin	*Samas-sum-ukin*.
	FRACTUS DENUO LATERCULUS.

Collatione vel leviter instituta, statim deprehendes suavisonam utriusque monumenti consonantiam. Quædam tamen haud inutiliter illustranda veniunt.

I. — Nomina *Nabu-nadin-ziri* et *Nabu-sum-ukin* forma paulo breviori Chronicis transcripta sunt : solemne enim exstitit Babyloniis, Assyriis, necnon et ipsis Hebræis detruncare nomina propria, detractis pro lubitu præsertim divorum Nabu, Nergal, Assur, etc., vocabulis. Hoc pacto scribebant Sar-usur pro Nergal-sar-usur, Natsir-apli pro deus *x*-natsir-apli, imo Agu loco Agu-kak-rimi, etc.

II. — Loco *Pulu* et *Ululâa*, Chronicis exhibentur *Tukulti-apal-esarra* et *Sulman-asarit*, Teglatphalasar et Salmanasar. Qui enim cum simul Assyriæ et Babyloniæ reges exsisterent, retento proprio nomine quo Ninive vocitabantur, alterum assumebant statim atque Babyloniam obtinebant (1).

Alii, uti clarissimus J. Oppert, æstimant his Chronicorum nominibus, non quidem ipse Assyrius sed ejus legatus designari : quæcumque vero de nominibus sint tenenda, quia perfecte anni conveniunt, chronologia extra disceptationem ponitur.

III. — Erasis Chronicorum lineis ultimis, exciderunt *Sar-ukin* et *Sin-ahi-irba*, seu Sargon et Sennacherib ; sed reversa tabella nominatur *Marduk-abla-iddin* qui reipsa ex aperto laterculi D testimonio, discedente Sennacherib, rerum potitus est.

IV. — Regnum Sennacherib Chronicis exhibetur uti continuatum *Musezib-Marduk* imperium. Is enim, ab Assyrio debellatus, verisimiliter regnare

(1) Cf. Ménant, *Annales des rois d'Assyrie*, p. 251.

perseveravit, sed ex victoris venia et persona. Multa enim referri possunt istiusmodi exempla; paulo ante, Merodach-Baladan seu *Marduk-abla-iddin*, pariter ab Assyrio *Sar-ukin* devictus, victoris nomine deinceps imperavit (1). Nec ita multo post, *Samas-sum-ukin*, defuncto *Asur-ah-iddin*, Babylone auctoritatem obtinuit, agnito tamen fratris sui Assyriorum regis Assur–ban-apla dominio (2)

Eamdem conclusionem indirecte evincere possumus : nam mortuo *Marduk-abla-iddin*, nemine contradicente, statim regnum obtinuit *Assur-ah-iddin;* ergo Babylonia jam existebat in ditione *Sin-ahi-irba* cujus iste erat filius (3).

§ III.

Laterculus D cum monumentis sive privatis, sive publicis confertur.

Hocce titulo veniunt omnia monumenta quibus ostenditur reges canone commemoratos non esse fictitios, sed revera imperasse tempore tabula D assignato : sive contractus inter privatos, quibus annus principis appositus est, sive documenta publica a regibus babyloniis edita, sive denique ipsi regum Assyriorum annales, quibus inimicitiæ

(1) Ménant, *Annales*, p. 169.

(2) *Ibid.*, p. 261.

(3) *Ibid.*, p. 241.

et bella quæ contra Babylonios sunt gesta, ordinate enarrantur.

Equidem fateor non singulorum regum reperta hucusque monumenta fuisse, quod de cætero neminem movere debet; alii enim annum aut menses pauculos imperaverunt; aliorum monumenta diruta sunt a Scythis, Persis, Græcis, Parthis, Romanis, Arabibus, etc., imo et ab ipso *Nabu-kudur-utsur* qui omnia fere in Chaldæa instauravit, reticitis tamen auctorum nominibus, et suo candide apposito : aliorum denique reliquiæ jacent ruinarum tumulis oppressæ, donec ab exploratoribus in lucem denuo restituantur, aut ignotæ in immensis ac prope infinitis Britannici Musæi thesauris, donec eruditorum virorum qui huic præsunt, aciem effugere desinant.

Contra, aliorum regum monumenta tanta copia collecta sunt ut singula describendi, etiam quæ ad thesim nostram stabiliendam conferunt, neque spes adsit, neque facultas : ea tantum seligemus quæ ad propositum nostrum majoris momenti æstimamus.

I. — *Nabu-natsir* et *Nabu-nadin-zira* monumenta hucusque non comparuerunt. Eorum ergo testes, præter laterculum D et Chronica babylonia nuper producta, unici adducuntur Ptolemæus qui observatas iis imperantibus eclipses conscripsit, necnon et Berosus a quo eum excerpsit Alexander Polyhistor. Alias, ad *Nabu-nadin* quod attinet, cum annos duos tantum regnaverit, nihil mirum si ejus monumenta, uti licet conjicere, perpauca, ad nos usque non pervenerint.

II. — At non idem dicendum de ejus successore *Ukin-zira*. Is enim uti Chronicis edocti sumus, a Teglat-Phalasar seu *Tukulti-apal-esarra* obsessus et captus fuit. Quæ quam vera sint, licet explorare ex ipsius victoris testimonio. Nam parietibus ædium a Teglat-Phalasar exstructarum in urbe Ninive, hæc ad verbum leguntur :

> Ukin-zira, filium Amukkan in Sapi urbe regni sui obsedi, milites ejus absque numero in facie ædium ejus occidi, etc. (1)

III. — Ejus vices sibi vindicavit victor Teglat-Phalasar. Pauca quidem supersunt hujus regis vestigia; namque reges posteriores ex industria ejus monumenta diruerunt, atque ex eorum lapidibus ædes sibi struxerunt. Attamen nonnulla supersunt in quibus gloriatur titulo regis *Sumir* et *Akkad*, quod idem sonat ac Chaldææ ac Babyloniæ, uti omnes fatentur; iis enim tribubus divisa erat ab antiquo Chaldæa, quibus præesse pariter gloriati sunt vetustissimi Babyloniorum reges :

> Ædes *Tukulti-apal-esarra*, regis magni, regis potentis, regis gentium, regis Assur, regis Sumir et Akkad (2).

Alibi vero aperte omnino legitur clausula hæc :

> Ædes *Tukulti-apal-esarra*, regis magni, regis potentis, regis gentium, regis Assur, *regis Bab-ilu* (3).

Is insuper secundum Ptolemæi canonem quo ex-

(1) *The Cuneiform Inscriptions of Western Asia*, t. II, pl. 6, l. 23.
(2) Layard, *Cuneif. Inscript.*, pl. 19, l. 7-2.
(3) *W. A. I.*, t. II, pl. 67, l. 1.

plevimus laterculi D rimas, obiit anno DCCXXVI°; jam noster *Tukulti-apal-esarra* vel etiam *Pulu* quo anno obierit videamus ex laterculo consulari supra laudato : in quo enim linea transversa unumquodque regnum a sequente dividitur, successori tamen attributis mensibus e quibus non confit annus integer. Initium computandi omnino fixum certumque repetitur ab anno DCCXXII°, sub *Adar-Malik* qui, cum esset *limu*, Samaria capta est, uti in inscriptionibus legitur. Verum ad Teglat quod attinet, hæc habet laterculus :

745 Nabu-bil-utsur : mense Airu, XIII[a] die *Tukulti-apal esarra* regnum obtinet.

. . . .

. . . .

. . . .

729-728 Naphar-ilu
728-727 Dur-Asur

727-726 Bil-harran-bil-utsur (1).

Ergo Teglat mortuus est nondum elapso anno DCCXXVI°; quod optime cum laterculo consonat.

IV. — Eo defuncto *Sulman-asarit*, vel etiam *Ululâa* annos V regnavit, secundum numeros laterculo D editos; et reipsa, in tabella consulari, hæ lineæ ei attribuuntur :

727-726 Bil-barran-bil-utsur
726-725 Marduk-bil-utsur
725-724 Mahdie
724-723 Assur-ballik
723-722 Salmanu-asir

722-721 Adar-Malik.

(1) Confer optimam quam sequemur editionem *der Eponymencanon* apud Delitzsch, *Assyr. Lesestücke,* zw. A., pl. 87-94.

Anni ergo iidem numerantur in Chaldaico laterculo et in Assyriorum consulum tabella.

V. — *Marduk-abla-iddin*, post illum, annos XII regnum obtinuit. Qui tunc imperabat Assyriis Sargon, cum eo rem habuit, uti didicimus ex inscriptionibus regiæ *Dur-sarrukin* (Khorsabad) insculptis :

> Ædes *Sar-ukin*, regis magni, regis potentis, regis gentium, regis Assur, etc., etc. .....
> In anno meo XII°, *Marduk-abla-iddin*, filius Iakin, rex Chaldææ ... a diis magnis alienatus est, et tributum negavit ... Per auxilium dei Marduk domini mei, aciem instruxi, contra rebelles bellum inchoavi.... Congressus sum cum eo usque ad vesperam, cepi XVIII MCCCCXXX homines, equos, asinos, etc. (1).

Ab hoc anno XIII°, Sargon de *Marduk-abla-iddin* jam non meminit : atqui ex laterculo D is reipsa regnavit annos XII plenos ; omnia igitur adamussim concordare perspicis.

> In anno meo XIII°, iter feci Babylonem versus ... *Marduk-abla-iddin*, terrore perculsus ... urbes reliquit, aufugit, neque amplius visus est (2).

VI. — Debellato Marduk-abla-iddin, ipse Sargon, ex laterculo, rerum Chaldaicarum potitus est. Quibuscum plane cohærent permultæ ejusdem inscriptiones :

> Ædes *Sar-ukin* regis magni, regis potentis, regis gentium, regis Assur, antistitis-summi Babylonis, regis Sumir et Akkad, regis quatuor (cœli) plagarum, dilecti a Magnis Diis (3).

(1) Ménant, *Annales*, p. 169.
(2) *Ibid.*, p. 174.
(3) *Ibid.*, p. 158.

Imo laterculus ei annos V tribuit. Jam novimus debellatum fuisse *Marduk-abla-iddin* anno Sargonis XIII° : quæramus ergo ex tabella consulari utrum necne post annum XIII^{um}, quo vicerat Babylonios, reipsa annis quinque superfuerit Assyrius :

1us	*limu*	regnante	Sargone	Adar-malik
. . .	. . .	. . .	. . .	. . .
13us	»	»	»	Samas-bil-utsur
14us	»	»	»	Mannuki-Assur-lih
15us	»	»	»	Samas-upahar
16us	»	»	»	Sa-Asur-dubu
17us	»	»	»	Mutakkil-Assur
18us	»	»	»	Pahar-Bil (1).

Ergo mortuus est sub XVIII° consule; tertiodecimo igitur annis quinque supervixit.

VII. — Mortuo Sargone, Sennacherib in urbe Ninive imperium obtinet, quo tempore incipit Babylone auctore Ptolemæo 'Αβασίλευτος. Hoc intervallo vicissim imperium exercent, ex laterculo D. Sennacherib annos II, *Marduk-zakir-sumi* mensem I, *Marduk-abla-iddin* menses IX, *Bel-ibni* annos III; dein *Assur-nadin-sumi* annos VI; *Nergal-usezib* annum I; *Musezib-Marduk* annos IV; tandem rursus ipse Sennacherib, qui post turbatas annis XVII res Babylonias denuo sibi regiam potestatem vindicat, eamque annos VIII occupat. His si fides adhibeatur, Sennacherib annos XXV patri suo superfuit.

(1) Delitzsch, *Ass. Lesest.*, pl. 90, l. 190.

Atqui reipsa totidem consules eo regnante munus gesserunt.

1 Pahar-bil
2 Nabu-dini-epus
3 Kan-tsilai
4 Nabu-lih
5 Hananu
6 Mitunu
7 Bil-sar-(utsur)
8 Sulummu-sar
9 Nabu-dur-utsur
10 Tab-bil
11 Assur-bil-utsur
12 Ilu-ittiia
13 Iddin-ahi
14 Za-zâa
15 Bil-emurani
16 Nabu-ukin-ah
17 Gihilu
18 Iddin-ahi
19 Sin-ahi-irba
20 Bil-emurani
21 Assur-daâni
22 Sarru-zir-ilie
23 Mannuki-Bin
24 Nabu-sar-utsur

25 Nabu-ahi-izziz (1).

Jam regulorum istorum singulos ordine percurramus. *Marduk-zakir-sumi* qui nonnisi unum mensem regnavit, nullum quod sciamus, vestigium reliquit. At *Marduk-abla-iddin* ab Assyrio statim uti rebellis atque profligatus describitur : postquam enim de Hazakiau rege Iauda seu Ezechia rege Juda, verba fecit Assyrius, continuo subdit :

In anno meo IV° jussu dei mei Assur aciem instruxi ... contra regionem Beth-Iakin : *Marduk-abla-iddin* quem bello primo viceram ... exercitum meum pergrandem timuit, pugnare non est ausus, deos suos e sanctuariis sustulit et aufugit (2).

Sequentis vero *Bel-ibni* nomen in annalibus conscriptum legitur, non uti rebellis, sed uti principis fideliter subditi :

Lineæ descriptæ LXIII : mense VII, anno consulis Nabu-lih, præfecti Arbelorum.

Sin-ahi-irba, rex magnus, rex potens, rex Assyriæ, rex absque æquali, rex pius, dilectus a Magnis Diis.

. . . .

(1) Delitzsch, *Ass. Lesest.*, pl. 90, l. 207.

(2) *W. A. I.*, t. I, pl. 39, c. III, 42-53.

Bel-ibni, filium magnatis, *præfectum Babylonis*, qui a pueris in regiam meam fuerat allatus, posui in regem Sumir et Akkad (1).

Asur-nadin-sumi eum excipit, ex laterculi testimonio. Jam legamus Sennacherib regem, quomodo in locum defuncti Bel-ibni, proprium filium Babylonem miserit :

In anno meo IV° ... in regressu meo consedere feci in throno ejus (scilicet in throno Marduk-abla-iddin) *Assur-Nadin*, filium meum primogenitum dilectum, et dedi ei imperium magnæ regionis Sumir et Akkad (2).

Nergal-usezib, utpote qui ultra annum non regnaverit, nulla reliquit vestigia.

Contra *Musezib-Marduk*, contracto pro more et tantisper mutato nomine, minime nobis videtur distinguendus ab illo Chaldæorum rege *Suzub* quocum Sennacherib haud semel congressus est :

Suzub, regem Babylonis, accepta magna clade, vivum ceperunt, in vincula conjecerunt, et ante faciem meam, juxta portam magnam Ninives, adduxerunt (3).

Debellato denique Suzub, rursus Babyloniis imperavit Sennacherib, annos VIII, uti supra exposuimus.

VIII. — Defuncti filius *Assur-ah-iddin* locum patris statim obtinuit, annos XII ex laterculo regnaturus.

(1) Layard, *Bellino's Cylinder*, l. 14.
(2) *W. A. I.*, pl. 38, c. III, l. 64.
(3) *W. A. I.*, pl. 43, l. 34-35 ; cf. qq. *ibid.*, pl. 39, col. V.

Quæ quam vera sint, ex plurimis inscriptionibus comprobatur, quibus singulis perpetuo sibi vindicat titulos regis Sumir et Akkad, domini Babylonis, etc.

Ædes *Assur-ahi-iddin*, regis magni, regis potentis, regis gentium, regis Assur, *summi-pontificis Babylonis, regis Sumir et Akkad*, regis Ægypti, Meroes et Æthiopiæ, — filii Sin-ahi-irba regis magni, regis potentis, regis Assur, — nepotis Sar-ukin, regis magni, regis potentis, regis Assur (1).

Ædes *Assur-ahi-iddin*, regis gentium, regis Assur, regis Sumir et Akkad, regis Kar-dunias (alterum Babyloniæ nomen) (2).

Deo Marduk domino suo, *Assur-ahi-iddin*, rex Assur, rex Babilu, incepit ac perfecit sanctuaria E-saggil, templi fundamentorum terræ (3).

Quem principem laterculo moniti sumus anno XIII° interiisse ; nunc vero hæc consulum nomina in unum collige :

1	Nabu-ahi-izziz	8	Sarru-nuri
2	Dananu	9	Atar-ilu
3	Dân-imnini	10	Nabu-bil-utsur
4	Nergal-sar-utsur	11	Tebetâ
5	Abu-ramu	12	Sulmu-bil-lassib
6	Bambâ	13	Samas-kasid-aibi
7	Abu ahi-iddin	14	Sakan-la-armi (4).

IX. — De *Samas-sum-ukin* mentio sæpe injicitur in inscriptionibus Assyrii regis coæqualis, *Assur-ban-apla*, cujus is frater erat ; sed cum rebellasset contra fratrem natu majorem, devictus occisus est.

(1) *W. A. I.*, t. III, pl. 16, col. 2, l. 26.

(2) *W. A. I.*, t. I, pl. 48, n. 7.

(3) *W. A. I.*, t. I, pl. 48, n. 9.

(4) Delitzsch, *Ass. Lesest.*, pl. 91, l. 231.

Samas-sum-ukin, frater meus minor, non obedivit : populos Akkad, Kaldu, Aram a littore Akabæ usque Bab-Salimeti, qui erant in ditione mea, contra imperium meum excitavit (1).

In bello meo VI° aciem instruxi et iter contra Samas-sum-ukin institui : præsidia ejus obsedi, Sippar, Bab-ilu, Barsip, Kutha, etc. . . .

Assur, Sin, Samas, Bin, Bel, Nabu, Istar Ninives, Istar Arbelorum, Adar, Nirgal, Nusku ante faciem meam processerunt et fratrem meum rebellem Samas-sum-ukin, qui contra me ascenderat, in ignem conjecerunt, et vitam ejus sustulerunt (2).

X. — *Kandal* seu *Kandalanu* regis nomen pluribus contractibus appositum legimus, hoc pacto :

Mense Adar, die IV^a^, anno XII° Kandalanu regis.

Sippar, mense Elul, die IV^a^, anno VI° Kandalanu regis Bab-ilu (3).

Sistimus hic tandem, nobis ubi deest laterculus. Capitulo sequenti, laterculi ejusdem pars prior nobis exploranda veniet.

(1) *W. A. I.*, t. III, pl. 18, l. 6.
(2) *Ibid.*, l. 59-61 et 105-110.
(3) *Journal asiat.*, avril 1883, p. 515-516.

CAPUT XV

Eadem conclusio demonstratur pro temporibus ante Nabonassar regem elapsis.

Priusquam exploramus eadem via qua superiori capite reliquam nostri laterculi partem, duo haud inutiliter prænotanda veniunt.

I. Quo remotiorem attingemus ætatem, eo pauciora certe speranda erunt monumenta; cum plura enim ab istis repetenda sint temporibus a quibus vel mens refugit, nil nos movere debet si quædam diutius rerum humanarum sint vicissitudines experta, aut altius sub ruinarum tumulis infossa jaceant. Verum quo vetustiora nobis præsto aderunt, si tamen chronologicam tabellæ nostræ rationem confirmaverint, eo gravius huic certe adjungent momentum. Qui enim potius inanibus figmentis quam veris et authenticis monumentis inniteretur laterculus, is facilius in antiquis eventibus enarrandis fraudem absconderet.

II. Ut quæstio dilucide attingatur, a magis notis ad nota minus æstimamus esse procedendum, igitur sumpto a recentioribus dynastiis initio, ad vetustiores gradatim sensimque ascendemus.

§ I.

Octavæ dynastiæ exploratur series.

Istius dynastiæ pleraque regum nomina in laterculo desiderantur. Attamen ea commode restituuntur e monumentis a pluribus principibus relictis, aut ex inscriptionibus regum Assyriæ qui cum iis rem habuerunt. Illi namque Assyriorum reges contra Chaldæorum duces, seu reges Sumir et Akkad aut Kar-dunias et Bab-ilu (his enim vocabulis Chaldæi gloriabantur), fere singuli bella moverunt quæ deinde in publicos annales referre erant soliti, fusiori quidem calamo, verius dicam cælo indefesso, nam marmoreis aut alabastritis ædium immensarum lapidibus facinora sua insculpebant.

Cum de tempore *Nabu-natsir*, seu de Nabonassar æra, omnes omnino chronographi consentiant, in hac a suspicionibus vindicanda oleum tempusque perderemus. Quæ cum inciderit anno ante Christum DCCXLVII°, initium dynastiæ ex supputatis supra rationibus (1) circa annum ML^um^ reponendum est.

Jam *Assur-natsir-apli*, qui ex tabula assyriorum consulum regnabat ab anno DCCCLXXXII° ad DCCCLVII^um^, meminit de rege Kar-dunias *Sibir*

(1) Cf. supra, p. 147.

uti de principe sæculo superiori Chaldæis dominato, proinde circa annum M^um^; nam in inscriptionibus regiæ in urbe Calach ab ipso ædificatæ gloriatur Assur-natsir-apli

> Urbem Atlila quam *Sibir* rex Kar-dunias ceperat, diruerat, in acervos ruinarum converterat, ... recuperasse (1).

Aliunde scimus Atlila urbem minime fuisse captam regnantibus abavis aut patre ejus *Assur-Daan*, *Ramman-Nirari*, *Tukulti-Adar* : ergo qui eam expugnavit Sibir rex Kar-dunias, circa annum M^um^ vixisse autumandus est.

Anno circiter DCDX° obvius fit alter Chaldæus, *Nabu-sum-damik*, ipse enim devictus est ab Assyrio *Ramman-Nirari*; ejus successor *Nabu-sum-iskun*, pariter a Ramman debellatus est : is autem *Ramman-nirari* ex consulari laterculo usque ad annum DCCCXC^um^ regnum exercuit.

Dein *Assur-natsir-apli* qui ab anno ante Christum DCCCLXXXIII° ad annum DCCCLIX^um^ Assyrios rexit, cum sequente Chaldæorum principe *Nabu-abla-iddin* manus conseruisse novimus, sub consule seu *limu Dagan-bil-natsir;* is enim scripsit :

> Limu Dagan-bel-utsur ..... die VIII^a^, mense Duzu ..... cepi equites L et milites *Nabu-abla-iddin*, regis Kar-dunias una cum Zabdan fratre ejus, etc. (2)

Ipsius vero *Nabu-abla-iddin* exstat insigne monumentum, tabula scilicet votiva quam fundamentis infoderat restaurati templi Samas-Adar

(1) *W. A. I.*, t. I, pl. 22, l. 84-85.
(2) *W. A. I.*, t. I, pl. 23, c. III, l, 19.

in urbe Sippar (1) : qua enarrat templi eversionem sub *Samas-sihu*, instaurationem a *Kassu-nadin* et *E-ulbar* inchoatam, a semetipso autem perfectam : cui apposita clausula

arah	*Nisan*	*um*	*XX*
mense	Nisan,	die	XX^a,
sanat	*XXXI*	*Nabu-abla-iddin*	
anno	XXXI°	Nabu-abla-iddin	
sar	*TIN-TIR-KI* (Bab-ilu).		
regis	Babylonis (2).		

Ejusdem filius *Marduk-sum-iskun*, Assyrii Salmanasar opem imploravit contra fratrem *Marduk-bel-usate* insidias parantem ; ejus tuendi causa, contra rebellem certamen bis instituit Salmanasar,

> In anno meo VIII° *Marduk-sum-iskun* rex Kar-dunias proditus est a fratre *Marduk-bel-usate* ..... ivi ad protegendum *Marduk-sum-iskun*, et expugnavi urbem Me-Dhurnat.
>
> In anno meo IX° incessi rursus contra regionem Akkad, urbem Ganati expugnavi. *Marduk-bel-usate* terrore perculsus aufugit (3).

Statim post quemdam principem ignotum *Bau-ahi-iddin*, invenimus *Marduk-baladsu-ikbi* qui cum *Samsi-Ramman* Assyrio haud semel manus conseruit, uti ex assyriis annalibus discimus annis DCCCXX° et DCCCXIII° (4). Cujus insuper ex-

(1) Ex Biblia discimus a Sepharvaitis cultum fuisse Adra-melech.

(2) *W. A. I.*, t. V, pl. 6, c. VI, 27-29.

(3) Layard, pl. 92, l. 73-78.

(4) Ménant, *Annales*, p. 122, 124.

stat tabella donationis in favorem templorum Sin, Samas et Nirgal numinum (1).

Ab hac ætate usque ad Nabonassar regem, id est per annos L, monumenta deficiunt, aut potius nullius Babylonii regis nomen hucusque prodiderunt : eorum tamen, sed tacito nomine, nonnunquam mentio inscriptionibus injicitur hoc pacto :

> Reges Chaldæorum omnes ditionem meam tenuerunt, tributa et vectigalia deinde imposui eis, etc. (2)
>
> (Ex inscriptione regis Assyriorum Ramman-Nirari.)

§ II.

Explorantur dynastiæ V[a], VI[a] et VII[a].

Quia tres istæ dynastiæ e septem tantummodo regibus constare deprehendimus, hos in solidum jungendos duximus ne præter membra et articulos, amplius quasi in pulverem opus nostrum attenuari videretur. Sequentem ergo præmittemus laterculum :

Simmas-sihu	XVIII
Ea-mukin-ziri	mens. V
Kassu-nadin-ahi	III
E-Ulbar-sakin-sumi	XVII
Ninip-kudur-utsur	III
Silanim-sukamuna	mens. III
... *Elamila*	VI

(1) Proceed. of the *Society of Bibl. Arch.*, v. VI, p. 181.

(2) *W. A. I.*, t. I, pl. 35, n. 1, l. 22-23.

I. *Simassihu* regnante conscriptus est contractus in lucem recenter e ruinarum acervis productus, cujus clausulam statim transcribendam curamus :

Mense Tebet, die XII^{a}, anno XII°
Simmas-sihu regis (1).

II. Ex tabulariis templi Larsæ cujus mentionem supra injecimus (2), edocemur a rege *Nabu-abla-iddin* superiori dynastia laudato, ædes deo Samas-Adar dicatas prius dirutas fuisse regnante *Samas-sihu*, restauratas vero fuisse imperantibus *Kassu-nadin* et *E-ulbar*, perfectas denique et absolutas ab ipso *Nabu-abla-iddin*.

Ne documento vitio vertas, quæso, omissum *Ea-mukin-ziri* intermedium : quia, cum menses V solum regnasset, ei sane non fuit otium templa exstruendi vel reparandi. Hujus ergo reticito nomine potius laterculo nostro auctoritas adjungitur quam remittitur.

III. Alium laterculum producere possumus, multo antea, imo non jam in Babylonia, sed in Assyria conscriptum, et in regia Ninivitarum bibliotheca usque ad urbis direptionem asservatum quo V reges iidem, eodemque ordine commemorantur :

.....	*Simmas-sihu*	*apal*	*Irba-sin*
.....	Simmas-sihu	filius	Irba-sin
.....	*sanati*	*XVII*	*ebil*
.....	annos	XVII	regnavit

(1) *Rds of past*, t. V, p. 79.
(2) p. 177.

ina ekalli Sargina kibir
in palatio Sargonis sepultus.

Ea-mukin-ziri sarru apal Kut-mar arahi III ebil
Ea-mukin-ziri rex filius Kut-mar menses III regnavit.

. . . .

Kassu-nadin-ahi apal Sappaâ sanati VI ebil
Kassu-nadin-ahi filius Sappaâ annos VI regnavit.

III sarrani aplani mat tamtim sanati XXIII ebilu
III reges filii regionis maris annos XXIII regnavere.

. . . . . *Ulbar-sakin-sumi apal Bazi sanati XV ebil*
. . . . . Ulbar-sakin-sumi filius Bazi annos XV regnavit.

. . . . . *Kudur-utsur apal Bazi sanati II ebil*
(Ninip) Kudur-utsur filius Bazi annos II regnavit.

. . . . . *Sugamuna su arahi III ebil*
(Silanim) Sugamuna item menses III regnavit.

III sarrani aplani bit-Bazi sanati XX arahi III ebilu
III reges filius Bit-Bazi annos XX menses III regnavere.

. . . . . *liblibbi alid Elamti sanati VI ebil*
. . . . . nepos filius Elam annos VI regnavit.

In quibus autem alter ab altero dissentit, ea certo levissimi sunt momenti : nomina ex utroque eadem colliguntur. In supputandis quidem regum singulorum annis, paululum dissentiunt, quod certe neque eamdem originem, neque manum eamdem prodit. Jam autem monuimus Assyrios solitos esse menses decessoris sequenti regi attribuere, si ex iis annus integer confieri non posset; hoc igitur pacto dissensus inter Babylonios et Assyrios ratio reddi potest.

Regis Elamitæ ultimo loco positi in utroque laterculo anni iidem, sed et in utroque nomen erasum : quod restitui hucusque prudenter non valuit.

§ III.

Dynastia IVa exploratur.

Hujus dynastiæ, uti ex apposita deducitur clausula, nomina septem perierunt, quatuor tantum præservatis; unum certo notandum, et quidem singulare: quatuor hæc nomina aliter omnino sonant atque nomina dynastiarum Væ, VIæ, et VIIæ quæ recenter exploravimus; insuper, a Nabu vel Marduk principium sumunt, quod III prioribus dynastiis perquam inauditum deprehendes.

His perfecte consonant quæ assyriis inscriptionibus exhibentur; tabellæ enim nostræ tria nomina superaddunt eodem pacto et ex iisdem elementis constituta :

Nabu–kudur-utsur. — Circa annum MCLum *Assur-ris-isi* rex Assyriæ congressus est cum eo Chaldæorum principe :

> *Nabu-kudur-utsur* ..... denuo in Assyriam reversus est: *Assur-ris-isi* currus et equites in præsidium misit, cum eo dimicavit, eum debellavit, milites occidit (1).

Ejusdem alias amplissima exstat tabella, in qua sequentibus titulis gloriatur :

> *Nabu-kudurri-utsur*, princeps illustris,
> potens, filius Babylonis, dominus regum,

(1) *W. A. I.*, t. II, pl. 65, co. 2, l. 10-13.

isakku (deorum legatus) fortis, *sakkanaku* (summus pontifex) Eridu,

. . . .

rex justus qui judicium justum judicat,
vir fortis qui ad præliandum fortiter præpotens est

. . . .

victor Phœniciæ, exspolians Cissios, etc., etc. (1)

Deinceps annales Assyriæ commemorant adversarium *Tukulti-apal-esarra* filii *Assu-natsir-apli*, videlicet Chaldæum *Marduk-nadin-ahi* :

> Tukulti-apal-esarra rex Assyriæ
> contra *Marduk-nadin-ahi* regem Kar-dunias
> altera vice exercitum et currus (ordinavit) (2).

Cujus nomen alias ex plurium contractuum clausulis jamdudum nobis proditum est :

> In urbe Babylone, mense Tebet, anno I° *Marduk-nadin-ahi.*
> In urbe Tindu ..., mense Elul, die XXVII^a^, anno X° *Marduk-nadin-ahi* (3).

Postremo *Marduk-sapik-kullat* Babyloniæ regem, necnon et *Ramman-abla-iddin* injustum regni invasorem, rex Assyriæ *Assur-bel-Kala* pluries nominat, uti a se profligatos, aut amicitiam jungentes (4), inscriptione quidem valde manca et mutila ; attamen sequentes laterculos commode e textibus superius relatis texere licet :

Assyriorum reges	Babyloniorum reges
Assur-ris-isi circa annum MDCLX^um^;	*Nabu-kudur-utsur.*
Tukulti-apal-esarra, ejus filius, circa annum MCXX^um^;	*Marduk-nadin-ahi.*
Assur-bel-kala, ejus filius, circa annum MC^um^.	*Marduk-sapik-kullat.*
	Ramman-abla-iddin.

(1) *W. A. I.*, t. V, pl. 58, l. 1-10.
(2) *W. A. I.*, t. II, pl. 65, co. 2, l. 14-17.
(3) *W. A. I.*, t. I, pl. 66; t. III, p. 43.
(4) *W. A. I.*, t. II, pl. 65, l. 25-35.

§ IV.

Dynastia III[a] exploratur.

I. Duo ultimi reges dynastiæ hujus, *Zagaga-sum-iddin* et *Bel-sum*... laudantur in fragmento satis decurtato ac lectu haud facili, quo relata sunt dissidia Chaldæos inter et Elamitas exorta : prioris nomen scribitur *Za-ma-ma*, loco *Za-ga-ga*, videlicet mutato *g* in *m*, quod in dialecto cui nomen *Sumer*, frequenter occurrit (1).

Qua vero ætate regnaverint, nullo negotio deprehenditur : *Zamama* enim ab Assyrio principe *Assur-daan* devictus est (2), circa annum MDLXXX[um], quod modo prorsus inexspectato cum tabella D consonat.

II. Regum præcedentium nonnulla quidem, sed perpauca existunt monumenta; præ cæteris memoranda veniunt :

a. Tabella donationis cui apposita legitur clausula

... *Marduk-abla-iddin*.
rex imperiorum,
rex Sumir et Akkad,
filius *Meli-sihu*

(1) Cf. P. Haupt, *die Akkad. Sprache*, p. 3.

(2) Cf. *W. A. I.*, t. III, pl. 38, c. 2, l. 63, 69 et *W. A. I.*, t, III, pl. 4, l. 25-28.

regis Babylonis . . .
e stirpe *Kuri-galzu*,
regis absque simili,
. . . . . (1)

b. Lateres templi in urbe Erech ædificati, cujus auctorum nomina votiva inscriptione relata sunt :

Deæ . . . dominæ terræ
dominæ suæ *Marduk-abla-iddin* rex Babylonis,
filius *Meli-Marduk* regis Sumir et Akkad,
E-Ana domum dilectam ædificavit (2).

III. Circa annum MCCXX^um^, rex Assyrius *Ninip-apal-esarra* manus conseruit cum rege babylonio cujus nomen, non plene descriptum, legitur inchoatum a voce *Ramman* : quod quam perrarum apud Babylonios exstiterit, statim deprehendes conjectis oculis in laterculum in quo nonnisi dynastia tertia exhibetur ; qui vero nomen illud sortiti sunt, regnaverunt ab anno MCCXXXII° ad annum MCCII^um^ : eorum igitur alteruter cum *Ninip-apal-esarra* inimicitias gessisse credendus est (3).

Idem vero Rammanides e medio sustulerat Assyrium *Bel-kudur-utsur*, regis supra memorati decessorem ; et in victoriæ monumentum sigillum devicti et interfecti principis Babylonem secum attulerat. Quod multo post, versa armorum for-

(1) *W. A. I.*, t. IV, pl. 42, c. I, l. 20-26.

(2) *W. A. I.*, t. I, pl. V, 17 ; de *Meli-Sihu* loco *Amil-Marduk*, cf. *W. A. I.*, t. V, pl. 44, c. I, l. 27.

(3) Ménant, *Annales des rois d'Assyrie*, p. 30 ; vel *W. A. I.*, t. III, pl. 4, n. 3, l. 19-24.

tuna, Sennacherib recuperavit « anno sexcentesimo postquam exsculptum fuerat (1). » Hæc vero scribebat *Sin-ahi-irba* anno DCLXXXVIII°; jam si ab ætate regis istius sæcula sex retro repetieris, habebis pro tempore inaugurati regis *Bel-kudur-utsur* annum MCCLXXXVIII^{um}; exinde nihil obstat quin sigillum istud anno MCCXXXVIII° Rammanides noster sustulerit. Quæ quam apprime secum cohæreant, nemo certe non mirabitur.

Horum alteruter duas inscriptiones sibi amplius vindicare potest :

> *Ramman-abla-iddin* rex Babylonis
> Pyramidem dei Zamama . . . ædificavit.
>
> *Ramman-abla-iddin* rex Babylonis ædificavit
> Nimit-Marduk munitiones et valla
> oppidi Nipur in honorem Bel domini sui (2).

IV. Duorum præcedentium nulla vestigia hucusque comparuerunt; nec mirum, perbreve enim fuit utriusque regnum. Notandum tamen regum nomina a vocabulo *Kara* initium sumentia, cæteris temporibus prorsus inaudita, in assyriis monumentis ad designandos reges Babyloniorum tunc frequenter revera occurrere : *Kara-indas*, *Kara-hardas*, etc.

Successoris vero *Sagaraktias* exstat, aut potius exstitit olim votiva tabula : istius enim *temen*, cum restaurando Larsæ templo operam navaret, *Nabunahid* invenit, legit, et transcribendum curavit :

(1) *W. A. I.*, t. III, pl. 4, col. 2, l. 6.

(2) *W. A. I.*, t. I, pl. 5, n. 22; et *Records of past*, t. V, p. 86.

... Effodiens temen E-ulbar ...
inscriptionem *Saga-raktias* ...
... reperi ; ita scripta erat :
Sagaraktias supremus dominus,
rex insignis ego.
Quando Samas et Anunit
ad imperium regionis nomen meum proclamarunt,
et potestatem supra omnes populos manibus meis tradiderunt,
E-bara templum solis
in urbe Sippar, dei mei ; et E-ulbar
templum Anunit dominæ meæ in urbe Sippar, quod
a diebus regis *Zabu*, ... restitui. (1)

V. Hoc loco deficit laterculus usque ad annum circiter MDCCL^{um}; at præsto sunt cum Babyloniæ, tum Assyriæ monumenta.

a. Primus princeps cujus memoria exstat, *Harbi-sihu* vocatur : quo tempore regnaverit, non liquet (2).

b. Dein circa annum MD^{um} rem habet Assyrius *Assur-bel-nisisu* cum Babylonio *Kara-indas* qui insuper jam pluribus monumentis sese prodidit :

deæ Nana dominæ E-ana, dominæ suæ,
Kara-indas rex potens, rex Babylonis,
rex Sumir et Akkad, rex Kassu,
rex Kar-dunias hanc E-ana domum ædificavit (3).

c. Circa annum MCCCCXXV^{um} cum Assyrio *Buzur-Assur* manus conseruit *Burnaburias*

(1) *W. A. I.*, t. I, pl. LXIX, c. 3, l. 19-32.

(2) *Rds of past*, t. V, p. 17.

(3) *W. A. I.*, t. II, pl. 65, c. 1, l. 1-4 ; *Rds of past*, t. V, p. 82.

Babyloniorum rex (1). Neque is propriis inscriptionibus caret :

> deo Samas (Soli) domino maximo cœli et terræ,
> dominatori potenti, deo Larsæ,
> regi suo, *Burnaburias*, rex potens,
> rex Babylonis, rex Sumir et Akkad,
> E-bara templum antiquum, quod in antiquis diebus
> exstructum fuerat, restauravit (2).

Et reipsa fundamenta hujus templi lateribus magis antiquis, et a vetustiore rege confectis, cui nomen *Ur-Engur*, exstructa sunt.

d. Cui successit *Kara-hardas*, circa annum MCCCC[um] a *Nazibugas* occisus, ætate regis Assyriorum *Muballidh-Assur* (3).

e. Utriusque vices explevit *Kuri-galzu*, cujus plura exstant monumenta :

> I *Kuri-galzu* rex gentium, filius
> *Burna-purias* regis Babylonis.
> II Deo Marduk domino
> *Kuri-galzu* filius *Burna-purias* dedicavit (4).

Qui cum permulta ædificia exstruxisset, quorum reliquiæ hucusque præservatæ sunt, circa annum MCCCL[um] ab Assyriorum rege *Bel-nirari* devictus est. Eamdem fortunam expertus est ejus successor *Nazi-murutas*, coæqualis regi Assyriorum

(1) *W. A. I., loc. cit.*, l. 5-7.
(2) *Ibid.*, t. I, pl. 4, n. 13.
(3) *W. A. I.*, t. II, pl. 65, l. 8-17.
(4) Relata a G. Smith, *Rds of the past*, t. V, p. 85.

Ramman-nirari, anno circiter MCCCXXX° (1).

f. In monumento antiquissimi Chaldæorum regis *Agu-kak-rime*, quo pro collatis deo Marduk donis plurimis exoptat sibi regnum prosperum, sequentem legimus regum genealogiam, quam e titulis regum Kassi necnon e nominum forma ab hac ipsa ætate tuto repetere possumus :

Agu-kak-rime,	ex progenie
. . . . . .	*Ummah-ziriti*
rex regum,	. . . ego sum.
filius *Tassi-gurumas,*	. . . . . .
nepos	. . . . . .
Abi . . .	rex Kassi
ex	et Akkad,
stirpe	rex amplissimæ
Agu-ragas,	regionis Babyloniæ (2).

Cui genealogiæ, e lineis cæteris, membrum additur unum, *Sugamuna*. Horum nomina cum sex primis dynastiæ tertiæ si contuleris, statim apprehendes; ex ipsa nominum forma, ea esse certo eidem dynastiæ vindicanda :

E LATERCULO D	EX INSCRIPTIONE
Kandis	*Ummiah-ziriti*
Agu-umse	*Agu*
Guiase	*Abi*
Uni	*Sugamuna*
Adu-melik	*Agu-kak-rime*
Tassi-umas	*Tassi-gurumas.*

(1) *Historical introduction to the Koyundjik Guide,* British Museum, p. 23, 10.

(2) *W. A. I.*, t. V, pl. 33, col. I, l. 1-33.

§ V.

Dynastiæ I^a et II^a explorantur.

Quo altius procedimus, nemo mirabitur eo rariora fieri authentica monumenta; sed quæ superius ex plurium monumentorum testimonio explorata sunt, certe et his quæ sequentur fidem haud immerito facient.

Attamen ne æstimet lector laterculi veritatem etiam directe demonstrari non posse, statim subjiciemus monumenta quæ ab his vetustissimis regibus ad nos usque pervenerunt.

I. *Laterculus A*, a G. Smith, uti supra monuimus, editus in lucem et ex Assyria oriundus, licet in multis deficiat, tamen babylonicam tabellam D amplissime confirmat; etenim, ex inveterato odio quo se mutuo Assyrii Babyloniique prosequebantur, fraudem communem nemo certe suspicabitur. Jam nomina eadem exhibent tabella D et laterculus A, columna IV^a et V^a. Inter duo fragmenta laterculi, sexaginta circiter lineas invenies; et si reipsa reges intermedios ex tabella D numeraveris, a *Sin–muballidh* ad *Simmas-sihu*, reipsa LXIV deprehendes! Quod fortuito accidisse nemo non negabit.

II. Nunc vero eorum monumenta quæ superesse novimus, enumeranda veniunt.

a. *Zabu* regis inscriptiones penes *Sagaraktias* et *Nabu-nahid* exstitisse, ex allegatis supra textibus, abunde novimus (1).

b. Regnante vero istius Zabu filio, cui nomen *Abil-Sin*, conscriptæ sunt observationes astrologicæ in Musæo Britannico asservatæ (2).

Attamen, ejus tempore Chaldæa a præpotente adversario diruta atque exspoliata fuit, scilicet a *Kudur-Mabug*, Elamitarum rege, qui filios suos diversis Chaldææ provinciis præfecit; cujus multæ asservatæ sunt inscriptiones, in quibus hæc et similia leguntur :

> Deo Ur regi suo, *Kudur-Mabug*, dominus Syriæ,
> filius *Simti-Silak*, servus dei Ur,
> patroni sui, templum....
> pro salute sua, et salute filii sui
> *Eri-aku* regis Larsæ, ædificavit (3).

c. *Sin-muballidh*, ab Elamitis pressus, nulla reliquit vestigia ; at non idem dicendum est de ejus hoste *Eri-aku* : in multis enim votivis tabellis aut lateribus, sequentibus titulis gloriatur :

> *Eri-aku* præpotens et supremus dominus,
> constitutus a Deo En, defensore urbis Ur,
> rex Larsæ, rex Sumir et Akkad,
> filius *Kudur-Mabug* regis Elam (4).

Ætate *Eri-aku*, plures contractus conscripti

(1) Cf. supra, p. 186.
(2) Cf. G. Smith, *Rds of past*, t. III, p. 17.
(3) *W. A. I.*, t. I, pl. 2, n. 3.
(4) *W. A. I.*, t. I, pl. 5, n. 16.

sunt, et hucusque præservati; unius, exempli ad instar, subjicimus clausulam :

> Mense Tisri, die XXX[a], anno XIII[o]
> post urbem Karrak a fausto domino *Eri-aku* captam (1).

d. Hammurabi, seu uti legunt alii *Hammuragas*, non quidem ex Elamitarum stirpe, sed e Chaldæorum progenie, invasores Elamitas pepulit; permulta ejus supersunt monumenta, nam cæteris diutius imperavit. Ætas vero schemate nostro huic regi attributa, plenius ab Assyrio *Assur-ban-apli* confirmatur; is enim commemorat annos MDCXXXV ab Elamitarum irruptione, et templi deæ Nana direptione, elapsos (2) : quæ vero cum scriberet anno DCLX[o], facile colligitur Elamitas circa annum IIMCCXCV[um] Chaldæis esse dominatos; jam eos pepulit *Hammurabi*, uti ex ejus monumentis, imo ex contractibus tunc conscriptis novimus, quibus appositæ clausulæ sequentes :

> Mense Tebet, die XXII[a], anno
> quo *Hammurabi* rex jussu dei Anu
> et dei Bel feliciter incessit et
> regem Elam et regem Larsæ *Eri-aku* pepulit (3).

Nabu-nahid tradit templum Larsæ tunc temporis fuisse ab illo Hammurabi restauratum, anno septingentesimo postquam ab *Ur-Engur* (?) conditum fuerat : et reipsa lateres templi hujus nomine restauratoris *Hammurabi* insigniti sunt (4).

(1) Relata a G. Smith, *Rds of past*, t. V, p. 67.
(2) *W. A. I.*, t. III, pl. 14, l. 49.
(3) G. Smith, *Rds of past*, t. V, p. 70.
(4) *Ibid.*, et *W. A. I.*, t. I, pl. IV, n. 15, 2; pl. LXIX, c. 2, l. 4-10.

e. Regnante ejus filio *Samsi-iluna*, plurimæ tabellæ conscriptæ sunt, necnon et astronomicæ observationes; cæterarum loco sequentem proferemus :

> Mense Airu, die XII[a], anno
> quo *Samsi-iluna* rex alveum
> fluvii *Samsi-iluna-nagab-nuhsi* effodit (1).

Reliquorum monumenta hucusque non comparuisse ingenue fatemur. Quæ vero attulimus, numquid non sufficiunt ut de laterculi D veritate omnimoda omnibus constet?

Namque ad fidem faciendam cuivis historiæ monumento, minime certe necessarium est ut singula ejus loca directe ex aliorum documentorum testimonio explorentur, vel ut omnes auctoris assertiones aliorum testimonio suffulciantur : qui autem, in singulis locis in quibus collatio institui potest cum plurimis certæ fidei instrumentis, perpetuo verax fuit inventus, certe ejus testimonium tunc recipi potest, imo et debet, etiam cum silent cætera monumenta.

Hoc argumentum adeo probabile omnibus apparet ut ad Bibliæ veritatem contra incredulos vindicandam et illustrandam, illud adhibere minime dubitemus; perpetuus enim atque inexspectatus Bibliæ cum monumentis assyriis et ægyptiacis consensus, fidem facit etiam iis quæ horum monumentorum ope explorari nequeunt. Ab hac via cæteroquin si recedendum esset, vix etiam inter

(1) *Rds of past*, t. V, p. 76.

historicos uti aiunt fontes, ullus daretur ab omni suspicione immunis.

Laterculum nostrum exploravimus collectis undique monumentis : non solum Babylonii, sed etiam Assyrii, hostes Babyloniorum infensissimi, ejus testimonium, nullo refragante, confirmaverunt, tum recentes, tum antiqui : hujus ergo testimonium si receperimus, neque imprudentiæ neque inscitiæ insimulabimur.

§ VI.

Reges laterculo D anteriores.

Unum tantum addendum ducimus : laterculus D ad annum IIMCCCCIX^{um} pertingit, id est ad ætatem diluvio anteriorem (IIMCCCXXVIII^{o} anno ex hebraica chronologia). At minime credendum hanc esse originem imperii chaldaici; multi enim vetustiores reges proprio nomine atque authenticis operibus nobis noti sunt. Licet eorum seriem texere non valeamus, attamen novimus eos remotiores esse cæteris hucusque commemoratis : nam in uno eodemque ædificio, semper lateres eorum nomine conscripti, altius cæteris omnibus infossi jacent; insuper ea ætate scimus artes fingendi, sculpendi et ædificandi haud eodem tramite processisse quo posteriorum principum tempore, quemad-

modum colligere potes ex evulgatis nuperrime D. de Sarzec explorationibus; denique inscriptiones his monumentis appositæ nullius linguæ semiticæ vestigia exhibent, sed ejus quam akkadianam aut sumerianam vocant. Iisdem monumentis scriptura non uti posterius a sinistra ad dexteram, sed ex summo ad imum vergit; et ipsi characteres potius ad rerum imaginem quam ad cuneorum similitudinem proferendam accommodantur.

Imo, quod omnibus Assyriologiæ peritis familiare est, litterarum signa quibus usi sunt Assyrii necnon et Babylonii, minime ab ipsis, sed a Cushitis seu filiis Cush patriarchæ ortum duxerunt, horum siquidem origo atque usus nonnisi lingua Cushitarum akkadiana rationabiliter explanari possunt; hæc autem lingua tempore regis Hammurabi, circa annum IIMCCC[um], ex usu paulatim decidere cœpit. Proinde ante laterculi D nostri initium, is temporis tractus necessario supponi debet quo ex anteriore dialecto usura detrita, lingua akkadiana enasci, perfici, atque decidere, litterarum vero usus et forma paulatim excogitari atque ex ipsis rerum imaginibus ad cuneatum stylum contrahi valuerit; quem tractum si ad V sæcula reduxerimus, vix quidquam amplius a nobis erit exposcendum. Hinc ergo reponamus initium chaldaici imperii circa annum IIMDCCC[um], id est circa eam ætatem qua secundum litteralem LXX interpretationem Caïnan ab Arphaxad patriarcha natus est. Utrum necne probabile sit tunc temporis jam Chaldæos rei litterariæ, grammaticæ, aut etiam politicæ studuisse, optime lector, tu videas.

Nunc vero vetustiorum istorum regum laterculos ex propriis authenticisque monumentis proferamus. Cæteroquin eorum plures, uti *Ur-Engur* et *Sarru-kinu* seu *Sar-ukin*, per totam Chaldæam ea vestigia reliquere, quæ præpotentes principes certo indigitent.

Sarru-kinu *Naram-sin* filius Sarru-kin	quorum præcipua sedes in Akkad; noti tum e propriis inscriptionibus, tum e successorum testimonio (1).
Hal-du *Ur-nina* filius Hal-du *Kur-gal* filius Ur-nina *En-Ana* *Gudea*	quorum præcipua sedes in Sirtella : noti e propriis inscriptionibus (2).
Ur-Engur *Dungi* *Gamil-Ninip* *Libit-Anunit* *Ismi-Dagan* *Gun-gunu* *Gamil-Sin*	quorum præcipua sedes in urbe Ur : noti e propriis inscriptionibus, necnon e successorum testimonio (3).

Prioris vero regis Sargonis, necnon et filii ejus ætas supputationibus *Nabu-nahid* hoc pacto determinatur : in inscriptione e columnis tribus exstante, is narravit templum dei Sin eversum fuisse ab *Istumegu* seu Astyage, quod, jubente deo Marduk, restaurandum suscepit. Cujus propositi causa cum fundamenta effoderet, invenit :

(1) *Rds of past*, t. V, 56-64.

(2) Babelon, *Histoire ancienne de l'Orient*, t. IV, p. 80-88.

(3) *W. A. I.*, t. I, pl. 1-3; t. IV, pl. 35-37; etc.

a. Tabulam votivam ab *Assur-ban-apli,* ultimo restauratore, circa annum DCL^{um} conscriptam.

b. Tabulam *Sulman-asarit* filii *Assur-natsir-apli,* prioris restauratoris, circa annum DCCCL^{um}.

Jubente vero deo eodem, solis templum instaurandum curavit : in cujus fundamentis cum diutius effodiendis perseverasset, invenit ipsum *temen* seu tabulam votivam *Naram-Sin* filii *Sar-ukin* regis Akkad quam, ait,

sa	*salalti*	*alap*	*sane*	*me*	*sanati*	*manama*
quam	III	M	II	C	annis	ullus

sarru	*alik*	*mahria*	*la imuru* (1).
rex	veniens	ante me	non viderat.

Ea vero scribebat Nabonahid anno DL° : hinc, eo auctore, Naram-Sin vivebat circa annum IIIMDCCL^{um} !

Quibus mature perpensis, nonne sententiæ clarissimorum virorum uti Oppert, Lenormant, Ménant, Sayce, Schrader, imo et sapientissimorum theologorum uti D. Kaulen suscribere licet, et asserere : « Dieses Volk hat die heidnische Religion » und die Cultur... bereits vor 3000 v. Ch. aus» gebildet (2) ! »

(1) *W. A. I.*, t. V, pl. 64, col. 2, l. 58.

(2) Kaulen, in *Kirchenlexicon*, art. Babylon, t. I, col. 1804.

TERTIA PARS

Biblica monumenta.

CAPUT XVI

Hebræorum et Græcorum diversi in genealogiis numeri.

Recognitis superius Ægyptiorum Assyriorumque monumentis, priusquam disquisitionem inimus de biblicis genealogiis in quantum ad disciplinas chronologicas pertinent, pauca nobis dicenda sunt ad prævium dubium exagitandum, atque, si fieri potest, excutiendum, scilicet quo biblico textu hæ genealogiæ authenticæ simul et integræ servatæ sint.

Norunt enim hi omnes qui vel summatim Scripturas attigerunt, in græcis LXX exemplaribus, singulas genealogias, saltem quæ sunt magis antiquæ et magis ad propositum nostrum conducunt, toto cœlo distare, ad numeros annorum quod attinet, ab iis quæ in hebraico textu leguntur. Aliunde

Samaritanorum exemplar cui concinit samaritana versio, tertiam computationem invehit neutri quidem plane consonam, sed ex utraque inæqualiter conflatam, ita ut dissidia exacerbet, nedum compescat.

Varios horum codicum numeros e sequenti laterculo colligere est.

	ANTE GENITUM FILIUM VIXIT SECUNDUM				POST GENITUM FILIUM VIXIT SECUNDUM				SUMMA ANNORUM VITÆ TOTIUS SECUNDUM			
	HEBR.	SAM.	SEPTUAG. VATIC.	SEPTUAG. ALEX.	HEBR.	SAM.	SEPTUAG. VATIC.	SEPTUAG. ALEX.	HEBR.	SAM.	SEPTUAG. VATIC.	SEPTUAG. ALEX.
ADAM	130		230		800		700		930			
SETH	105		205		807		707		912			
ENOS	90		190		815		715		905			
CAINAN	70		170		840		740		910			
MALALEEL	65		165		830		730		895			
JARED	162	62	162		800	785	800		962	847	962	
ENOCH	65		165		300		200		365			
MATHUSALAM	187	67	167 (1)		782	653	802		969	720	969	
LAMECH	182	53	188		595	600	565		777	653	753	
NOE	500											
Diluvium contingens post annos.	100											
Summa ante *diluvium*	1656	1307	2242									
NOE { annos post diluvium.	350				450				950			
SEM { annos vitæ.	100				500				600			
SEM { a. post dil.	2											
ARPHAXAD	35	135			403	303	400	430	438		535	565
CAINAN	0		130		0		330		0		460	
SALE	30	130			403	303	330		433		460	
HEBER	34	134			430	270	270	370	464	404	404	504
PHALEG	30	130			209	109	209		239		339	
REU	32	132			207	107	207		239		339	
SERUG	30	130			200	100	200		230		330	
NACHOR	29	79	179	79	119	69	125	119	148		304	198
THARE	70				135	75	205		205	145	275	
Summa a *diluvio*	292	942	1172	1072								

(1) Numerus certo suppositione imperita invectus, e quo sequitur Mathusalam arca minime inclusum *Gen.*, VII, 7, tamen quatuordecim annis diluvio superfuisse. Vixit enim post Lamech genitum annos 802; is vero genuit Noe annos natus 188 : quibus si addideris 600

Jam numerorum mutationes vel casu, vel ex industria acciderunt, hoc est vel vitio librarii prout humana fragilitas in textibus transcribendis peccare solet, vel interpretis delicto, falsum systema ex præjudicata opinione in textum sacrum intrudere volentis. Priores quidem errores in numero generatim unico deprehenduntur, rarissime vero in universa supputationum serie; hoc modo perhibetur Arphaxad vixisse post genitum filium annos 403 secundum Hebræos, 303 secundum Samaritanos, 400 aut 430 secundum græcos codices. Plurimi istiusmodi lapsus in aliis Scripturæ locis occurrunt: sic legimus in II libro *Regum*, x, 16, a Davide occisos 700 Syros, contra vero 7000 in I libro *Paral.*, xix, 18; fertur Joachim regem regnare incepisse natum annos 8 in II *Paral.*, xxxvi, 9, annos 18 in IV *Reg.*, xxiv, 8, etc.

Contra, ex industria contigisse judicabis sequentes mutationes quæ ratione continua semper ad centenarium pertingunt : quomodo enim mera incuria singulis numeris centum addere aut detrahere potuerit amanuensis, plane non apparet, uti perspicies e subjecta tabella :

	Hebr.	*Sam.*	*LXX.*
ARPHAXAD vixit ante filium genitum	35	135	135
SALE » »	30	130	130
HEBER » »	34	134	134
PHALEG » »	30	130	130

quibus Noe diluvium antecessit, tantummodo 788 colliges : unde Mathusalam diluvio superfuisse concludas annos 802-788 seu 14. Hocce incommodum ex hebraicis numeris minime sequitur. Samaritanorum supputatio qua Mathusalam ac Lamech ipso diluvii anno moriuntur, facilius artem videbitur arguere.

Talibus solum mutationibus impensam operam dare intendimus, quia in textibus simili modo adulteratis facilius deprehendetur uter adulteraverit, uter vero genuinam retinuerit lectionem, statim atque ratio systematis probabilium conjecturarum ope potuerit colligi.

Insuper genealogias patriarcharum eorum qui ante diluvium vixerunt, intactas remanere volumus, siquidem coætanea monumenta quæ his fidem faciant, neque Ægyptus, neque Chaldæa, neque alia quævis regio hucusque in lucem protulit. Aliunde argumenta quibus tempora diluvium consecuta attingemus, palam facient quid sit de anterioribus pronuntiandum.

Imo quia texendæ chronologiæ operam navamus, minime vero solvendis singulis quæstionibus quas critica sacra exagitare solet (1), non neces-

(1) Præter istas quas proposuimus varietates, dissidium et quidem subtilius componendum, imo cujus resolutio pluribus intricatissima apparet, inter recensitos textus deprehendere licet : quod quia ad rem nostram non ita attinet, potius indigitare quam componere necessarium ducimus. Patriarcham Cainan filium Enos omnes codices exhibent unanimi consensu : ast alterum Cainan filium Arphaxad conscripserunt LXX interpretes, et post eos S. Lucas in genealogia Christi; qui tamen desideratur in hodierno Hebræorum textu, tum c. XI, v. 12, Geneseos, cum c. I, v. 18, libri primi Paralipomenon; in samaritano codice ac versione samaritana, in Vulgata Hieronymi, in versione syriaca *Peshito* nomine insignita, imo apud Chaldaicum paraphrasten, cujus testimonium magni faciendum est, cum nudis textus genealogiis innumeras judaicas traditiones adsuere sit solitus, minime proinde Cainan neglecturus si de eo quidquam fuisset traditione proditum; Philo denique et Josephus qui tamen multum græcæ translationi tribuebant, hunc alterum Cainan respuerunt. Contra versiones quæ in ejus gratiam a nonnullis proferuntur, scilicet latina antehieronymiana, coptica, imo et æthiopica, cum sint sero et e græcis LXX codicibus descriptæ, vix testium loco haberi valent.

His præmissis, conclusionem eruditissimi Petavii excerpere liceat,

sarium erit ut de annis totius vitæ patriarcharum ex professo tractemus, sed solummodo de tempore nativitatem uniuscujusque filii Biblia commemorati antecedente. Hac enim ratione prudenter satisque fecerimus, cum series chronologica ex universis

quam ipse a Sixto Senensi depromere non dubitavit, carpto eapropter in Jansenii commentariis. « Est obvia et perfacilis explicandæ rei » ratio quam Interpretes et Chronologi multi, viri graves et catholici » jampridem secuti sunt.... Cum enim Lucas Græcorum præcipue sive » ἑλληνιστῶν in gratiam Evangelium institueret, non debuit aliunde » quam ex ipsorum libris Patriarcharum origines successionesque » prodere ; neque propterea falsitatis culpam Evangelista sustinet, qui » hoc, quod in eorum libris reperit, ipsorum causa transcripsit. » Poterat enim eodem jure et annorum numerum quibus Patriarchæ » singuli vixerunt, ex eorum Septuaginta commentariis adscribere. » Quod si fecisset, non propterea Hebræorum aut Latinorum calculis » Græcos anteponendos esse prudens quispiam crederet.... Legi apud » quemdam acerrimum Cainani propugnatorem, cum is Hieronymum » et Vulgatam nostram editionem ab erroris suspicione vindicaret, » quod in ea Cainan esset omissus, excusationem ejusmodi. D. Hiero- » nymum affirmabat quoniam ex hebræo fonte vertebat, omittere » debuisse quod in Hebræis codicibus non repererat. Idem et de » Epiphanio, quod erat a Cainani oppugnatoribus objectum diluens, » quoniam ille in Melchisedecianis Patriarcharum genealogiam exscri- » bens, Cainan præterisset, ita respondet : Prudenter Epiphanium eo » loco prætermisisse Cainan, quandoquidem adversus Samaritanos res » illi tum erat, quorum in codicibus desiderabatur. Præclare. Trans- » feramus hoc igitur ad Lucam utrumque ; et inseri ab eo Cainan » oportuisse dicamus, quem illi ipsi, unde hauserat, libri continebant ; » neque propterea culpandum esse ; sed prudentiam potius in eo lau- » dandam, quod se ad eorum quorum in gratiam ista prodebat, usum » captumque demiserit. » (*De Doctr. temporum*, t. II, l. IX, c. XVII.) Dein sapienter annotat ipsum Hieronymum *Quæst. Hebr.*, ad loc., ita fere respondisse, quod Lucas *Act.* VII animas LXXV cum Jacobo descendisse retulerit.

Pace viri tam eruditi, placet subjicere verba quibus Bochartus hanc opinionem aggreditur : « Putant igitur Evangelistam in re non magni » momenti, quæque ad fidem nihil pertinet pia συγκαταβάσει maluisse » errantes sequi quam intempestivo dissensu scrupulum injicere aut » etiam Evangelii sui αὐθεντίαν in discrimen adducere apud infirmos » vel pertinaces quibus persuasum erat hos interpretes fuisse ἀναμαρ-

totius vitæ singulorum annis in unum junctis minime constet. Jam textus qui in definiendo patriarchæ uniuscujusque generationis tempore peccasse convincetur, eo ipso ad mortis ætatem quod attinet dubiæ fidei ducendus erit.

» τήτους. Sed in hac sententia non videtur quicquam esse sani. Neque » enim verisimile est sacrum scriptorem minus habuisse curæ veri- » tatis quam famæ, cui ne sic quidem consuluisset : quippe ut vitaret » scandalum aliquot Hellenistarum qui Græcæ versioni plus nimium » erant addicti, objecisset se cavillis Judæorum omnium qui Evange- » lium ipsius cum Hebræo textu contulissent. » Bochart, *Phaleg*, l. II, c. 13.

Hanc sententiam non minus acriter carpit Brian Walton in Prolegomenis : « Hoc vero ut temerarium et dictu periculosum, omnino » rejiciendum : ut quod latam fenestram aperit ad universam S. Scrip- » turæ auctoritatem labefactandam, cum in aliis locis quisque atten- » dere possit scriptores sacros hoc vel illud scripsisse, non ex propria » sententia, sed secutos fuisse vulgi errores : quod omnibus erroribus » et hæresibus viam sternit. » Br. Walton, *Lond. Polygl. Proleg.* IX, n. 65.

CAPUT XVII

Varia utriusque chronologiæ fata.

Chronologiæ ad fidem Græcorum codicum fata diversa exponere aut potius delibare neque inutile erit, neque forsan injucundum. Hodiernis enim temporibus plures eruditi, scientia certe eximii atque de apologetica theologia alioquin bene meriti, ad chronologiam Græcorum facilius propendere videntur, ea ducti ratione, istorum annos computandi modum, utpote ampliores sæculorum numeros congerentem, minore negotio quam hebraicum cum recentibus antiquæ historiæ incrementis componi valere. Minime diffitemur monumenta ægyptiaca et chaldaica arctioribus certe finibus coarctari, si quis universa hæc recondere conatur in paucula textus hebraici sæcula; at naturali situ et amplitudine minime recumbere valent etiam intra differtos græci textus limites.

Monendum tamen ducimus, repudiatis Hebræorum numeris, neminem concludere posse magis veraces esse Græcorum computos. Etenim an veri et genuini numeri in alterutro textu hucusque permanserint, prudenter affirmare non possumus: nam libris, plus millies imperita manu aut mente a contextus sententia sæpius aberrante transcriptis,

quomodo fieri potuit ut in numeris, aut potius in litteris quæ istorum vice apud orientales fungebantur, nullus error ullo tempore irrepserit? Grande certo miraculum, quod Deus neque præstare debuit, neque præstitit, uti ratum ii habent qui varias lectiones a viris clarissimis Kennicott et de Rossi collectas attigerunt, imo qui unquam in minutissimis libros Regum cum Paralipomenis contulerunt.

Cave tamen ne inde concludas adulteratos esse Libros sanctos : scite etenim ac prudenter de Rossi : « Monemus autem potissimum ut eos » redarguamus qui in extremum aliud delapsi » variis lectionibus abutuntur ut hodiernos reve- » lationis fontes corruptos clamitent, ac si minora » quæque menda totidem sint gravissimæ corrup- » tiones, quæ fontes illos a sua dignitate ac puri- » tate dejiciant. Si enim semel alicujus libri vel » auctoris integritati et auctoritati obstant varia- » tiones ac leviora errata, quinam, quæso, erit » liber et auctor integer? Aut quomodo corruptus » appellari potest vel debet textus in summa ac » veritate rerum incorruptus, sincerus (1)? » Vel si magis lubet, audi SS. Patrum testimonia, puta B. Hieronymi, post Origenem hac ratione Scripturæ integritatem tuiti : « Quod si aliquis dixerit » Hebræos libros esse falsatos, audiat Origenem, » quid in octavo volumine explanationum Jesaiæ » huic respondeat quæstiunculæ : quod nunquam » Dominus et Apostoli qui cætera crimina arguunt » in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine quod

(1) De Rossi, *Variæ lectiones Vet. Testamenti*, t. I, proleg., p. IV.

» erat maximum, reticuissent (1). » Cui concinit S. Augustinus, ducens incredibile : « Judæorum » gentem, tam longe lateque diffusam, uno consi- » lio conspirare potuisse in conscribendo menda- » cio, et dum aliis invideant auctoritatem, sibi » abstulisse veritatem (2). » Persuasum ergo sibi habebant, nonobstantibus pluribus quas non ignorabant varias lectiones, permansisse textus sacri integritatem incontaminatam, ac nulli suspicioni obnoxiam (3).

Ex his autem quæ supra attulimus, concludamus oportet, etsi certe adulteratum fuisse constaret textum hebraicum, minime exhinc evinci Græcorum numeros esse genuinos. Illis igitur præmissis, nobis minus libet viam sequi qua plures hodierni scriptores a chronologicis difficultatibus sese expedire nisi sunt : « Un certain nombre » de savants catholiques contemporains croient » qu'une durée de 4,000 ans est suffisante pour » contenir tous les événements qui se sont accom- » plis dans l'humanité avant Jésus-Christ ; mais » on peut très bien augmenter ce nombre d'un tiers » et placer la création d'Adam 6,000 ans environ » avant l'ère chrétienne, en acceptant la chrono- » logie des Septante.... Du reste, quoi qu'il en soit » de l'origine des chiffres contenus dans les Sep- » tante, il est certain qu'ils ont été adoptés par » tous les Pères de l'Église grecque et la plupart

(1) S. Hieron., *in Jesai.*, c. VI.

(2) S. August., *de Civ. Dei*, l. XV, c. 13.

(3) Judæorum testimonia vide, si lubet, apud Hottinger, *Thes. Philolog.*, l. I, c. II, q. IV, de integr. context. hebr.

» des Pères de l'Église latine, et qu'on a par consé-
» quent le droit de les accepter et de les défendre. »
Monet tamen sapienter clarissimus auctor : « Il
» faut reconnaître d'ailleurs que quelques-uns des
» chiffres des Septante offrent des difficultés sé-
» rieuses, par exemple l'âge qu'ils assignent à
» Mathusalem lorsqu'il engendra Lamech (1). »

« The Assyrian and Babylonian monuments
» have not been proved, on satisfactory grounds,
» to have reckoned back to so a remote time (the
» 28th century B. C.); but the evidence of their
» monuments and the fragments of their history
» preserved by ancient writers, as in the case of
» the Egyptians, cannot be reconciled with (the
» Hebrew), » et consequenter sese profitetur
« taking the LXX numbers as most probable (2). »

Malumus ergo clarissimorum virorum necnon et prudentissimorum theologorum uti DD. Meignan consilio assentiri : si enim e chronologia ad mentem LXX interpretum verior temporum supputatio colligi nequit, neque expedit neque juvat nos intra ejus limites nostra sponte angusto coarctari ac præfocari : « Beaucoup d'historiens sont revenus
» de nos jours à la chronologie de la version
» grecque, non parce qu'ils la croient plus authen-
» tique, mais parce qu'elle donne plus de facilité
» pour établir la concordance de l'histoire sainte
» avec l'histoire générale. Il est très possible
» qu'aucun des trois computs bibliques ne nous

(1) Vigouroux, *Manuel Biblique*, t. I, p. 493, 5e éd.

(2) Reginald Stuart Poole, *Smith's Dictionary of the Bible*, art. Chronology.

» soit parvenu qu'incomplètement conservé (1).

» Toujours est-il qu'il règne dans l'Église » une liberté très grande en matière de chronolo- » gie biblique. Il importe plus que jamais de ne » pas restreindre prématurément et témérairement » la liberté à l'égard de certaines dates, toutes » d'ailleurs antérieures à Abraham (2). »

« Il serait possible que beaucoup de noms et de » dates aient été retranchés, ... et que les listes » généalogiques aient été abrégées et réduites à » neuf ou dix membres par les copistes (3).

» Je ne pense pas qu'on doive accorder la » moindre valeur aux variantes qui se trouvent » dans les Septante, puisqu'on reconnaît assez » clairement les procédés arbitraires des traduc- » teurs grecs (4). »

Nunc vero, a præjudiciis omnibus expediti, liberius exponemus quid de chronologicis inter hebræos græcosque codices dissidiis christiana senserit antiquitas.

Sane ii rebus hebraicis parum curabant, qui æstimabant LXX interpretes Spiritus Sancti afflatu scripsisse : Τούτων δὲ ἐν ἑβδομήκοντα καὶ δύο ἡμέραις τὸ πρᾶγμα πληρωσάντων, τὰς ὁμοῦ πάντων ἑρμηνείας, ἃς κατὰ διαφόρους οἴκους ἀλλήλοις μὴ προσιέντες ἐποιήσαντο, συναγαγὼν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὐ μόνον ἐν νοήμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν λέξεσιν εὗρεν συμφώνους. Οὐ γὰρ εὑρεσιλογία καὶ κατασκευὴ σοφισμάτων ἀνθρωπίνων ἦν τὸ γινόμενον · αλλ'ἐκ

(1) Mgr Meignan, *le Monde et l'homme primitif selon la Bible*, p. 164.

(2) *Ibid.*, p. 166.

(3) Reusch, *la Bible et la nature*, trad. Hertel, p. 542.

(4) *Ibid.*, p. 544.

Πνεύματος Ἁγίου, ἡ τῶν Ἁγίῳ Πνεύματι λαληθεισῶν Θείων Γραφῶν ἑρμηνεία συνετελεῖτο (1). — « Spiritus qui in » prophetis erat, ... idem ipse erat in Septuaginta » viris, quando illa interpretati sunt : qui profecto » auctoritate divina et aliud dicere potuit, tan- » quam propheta ille utrumque dixisset, quia » utrumque idem Spiritus diceret : et hoc ipsum » aliter ut si non eadem verba, idem tamen sen- » sus bene intelligentibus dilucesceret, et aliquid » prætermittere, et aliquid addere, ut etiam hinc » ostenderetur non humanam fuisse in illo opere » servitutem quam verbis debebat interpres, sed » divinam potius potestatem quæ mentem replebat » et regebat interpretis.... Si igitur, ut oportet, » nihil aliud intueamur in Scripturis illis nisi » quid per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid » est in hebræis codicibus et non est apud » interpretes Septuaginta, noluit ista per istos, » sed per illos prophetas Dei Spiritus dicere. » Quidquid vero est apud Septuaginta, in he- » bræis autem codicibus non est, per istos ea ma- » luit quam per illos idem Spiritus dicere, sic » ostendens utrosque fuisse prophetas (2). » Eadem plane habet Epiphanius : Ἀλλὰ Θεοῦ θαυμάσιόν ἔργον εἰς τὸ γνωσθῆναι ὅτι Πνεύματος Ἁγίου ἔχοντες δωρεὰν ἐκεῖνοι οἱ ἄνδρες ὡμοφώνησαν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ὅπου προσετέθειτο λόγος, ὑπὸ πάντων εὑρέθη προστεθειμένος· ὅπου δὲ ἀφείλοντο, πάντες ἐπίσης εὑρέθησαν ἀφελόμενοι· καὶ ὧν μὲν ἀφείλοντο οὐκ ἔστι χρεία, ὧν δὲ οὐκ ἀφείλοντο ἐστὶ χρεία. Εἰς δὲ τὸ γενέσθαι σοι σαφὲς τὸ εἰρημένον ὅτι Θαυμαστῶς κατὰ Θεοῦ οἰκονομίαν καὶ ἐκ συμφωνίας

(1) S. Cyr. Hieros., *Catech. IV de dec. dogm.*, XXIV.

(2) S. Aug., *de Civit. Dei*, l. XVIII, c. XLIII.

Πνεύματος Ἁγίου συμφώνως ἡρμήνευσαν καὶ πρὸς αλλήλους οὐ διηνέχθησαν, παρέξω σοι διὰ μακροῦ λόγου τὴν τούτων ἀπόδειξιν, κ. τ. ἄ. (1)

Qui ergo cum tantam auctoritatem græcis codicibus tribuerent, his non erat opus ulterius inquirere quænam essent textus hebræi variæ lectiones. Attamen statim atque numeri græci non ita certi ipsis videbantur, libenter ad hebraicum textum provocabant ; neque ipse Augustinus ejus auctoritatem recusavit : « Quocirca, inquit, » etsi inter hebræos et nostros codices de ipso » numero annorum nonnulla videtur esse dis- » tantia, quod ignoro qua ratione factum sit : » non tamen tanta est ut illos homines tam » longævos fuisse dissentiat. » Dein usque ad capituli finem paulisper evolvit in quo differant codices isti ; atque capitulo sequenti de annis patriarchæ Mathusalæ specialius verba facit : secundum græcos codices, post diluvium Mathusalæ anni « remanent quatuordecim quibus vixisse cre- » ditur : propter quod eum nonnulli, etsi non » in terra ubi omnem carnem constat fuisse dele- » tam, cum patre suo qui translatus fuerat ali- » quantulum fuisse atque ibi donec diluvium » præteriret, vixisse arbitrantur ; nolentes dero- » gare fidem codicibus quos in auctoritatem cele- » briorem suscepit Ecclesia. » Quæ tamen opinio ei placet minime, illam licet non aperte rejiciat : « Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisque » ut putaverit : certum est tamen non vixisse » Mathusalem post diluvium, sed eodem anno

(1) S. Epiphan., *lib. de mens. et pond.*, VI.

» fuisse defunctum, si verum est quod de numero
» annorum in hebræis codicibus invenitur. »

At capitulo XIII suam sententiam evidenter prodit Augustinus :

« Absit ut prudens quispiam, ait, vel Judæos
» cujuslibet perversitatis et malitiæ tantum po-
» tuisse credat in codicibus tam multis et tam
» longe lateque dispersis; vel Septuaginta illos
» memorabiles viros hoc de invidenda gentibus
» veritate unum communicasse consilium. Credi-
» bilius ergo quis dixerit cum primum de biblio-
» theca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc
» aliquid tale fieri potuisse in codice uno, scilicet
» primitus inde descripto, unde jam latius ema-
» naret, ubi potuit accidere etiam scriptoris
» error.... In his autem in quibus continuatur
» ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante geni-
» tum filium alibi supersint centum anni, alibi
» desint ; post genitum autem ubi deerant, super-
» sint ; ubi supererant, desint, ut summa conve-
» niat, — et hoc in prima, secunda, tertia, quarta,
» quinta, septima generatione invenitur ; videtur
» habere quamdam, si dici potest, error ipse cons-
» tantiam ; nec casum redolet, sed industriam.
» Itaque illa diversitas numerorum aliter se ha-
» bentium in codicibus græcis et latinis, aliter in
» hebræis, ubi non est ista de centum annis prius
» additis et postea detractis, nec malitiæ Judæo-
» rum, nec diligentiæ vel prudentiæ LXX inter-
» pretum, sed scriptoris tribuatur errori.... Hic
» vero ubi per tot contextas generationes centum
» anni alibi adsunt alibi desunt : et post natum

» filium, desunt ubi adfuerunt, adsunt ubi defuerunt
» ut summa concordet, ... sic voluit credibiles
» facere idonearum generandæ proli convenientias
» ætatum, ut tamen numero non fraudaret univer-
» sas ætates viventium singulorum.... Sed quomo-
» dolibet,— inquit, his verbis universam materiam
» definiens verissimumque simul statuens princi-
» pium, — istud accipiatur... recte fieri nullo
» modo dubitaverim ut, cum diversum aliquid in
» utrisque codicibus invenitur quandoquidem ad
» fidem rerum gestarum utrumque esse non potest
» verum, ei linguæ potius credatur unde est in
» aliam per interpretes facta translatio (1). »

Qua ætate ista scribebat Augustinus, jam eamdem de chronologia protulerat sententiam S. Hieronymus. Is enim quidquid ab hebraica deflectit veritate, erroneum habet ac necessario rejiciendum; atque hos Genesis versiculos interpretatus : *vixit Adam ducentos et triginta annos... fuerunt autem dies Adam postquam genuit Seth septingenti anni*, ita concludit : « Sciendum quod usque
» ad diluvium ubi in nostris codicibus ducentorum
» et quod excurrit annorum genuisse quis dicitur,
» in hebræo habeat centum annos et reliquos qui
» sequuntur. — Quia in ducentis erraverat, con-
» sequenter hic posuit septingentos, cum in hebræo
» hic habeatur octingentos, et supra centum. »
— Et instituta quæstione de annis Mathusalæ, his verbis græcorum numeros vellicat : « Nulli
» dubium est XIV eum annos vixisse post dilu-

(1) S. Aug., *de Civ. Dei*, l. XV, c. X, XI, XIII.

» vium. Et quomodo verum est quod octo tantum
» animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo
» ut quomodo in plerisque, ita et in hoc sit error
» in numero : siquidem in hebræis et Samari-
» tanorum libris scriptum reperi : *et vixit Mathu-*
» *sala CLXXXVII annis et genuit Lamech;*
» *et vixit Mathusala postquam genuit Lamech*
» *DCCLXXXII annos* (1). »

At vero illa tantorum doctorum sententia non statim plus valuit quam inolita consuetudo : quemadmodum antea Julius Hilarianus, ita sequentibus annis Orosius, SS. Prosper Aquitanus et Isidorus Hispalensis, imo fere omnes ad ætatem usque Venerabilis Bedæ, LXX interpretibus adhærere institerunt.

« A fabrica mundi, inquiebat Hilarianus, usque
» ad profectionem filiorum Israel de Ægypto,
» anni sunt 3646 (2). »

« Sunt autem ab Adam primo homine usque ad
» Ninum magnum (ut dicunt) regem, quando natus
» est Abraham, anni 3184;... a Nino autem vel
» Abraham usque ad Cæsarem Augustum, id est,
» usque ad Nativitatem Christi quæ fuit anno
» imperii Cæsaris 42, ... colliguntur anni
» 2015 (3). »

« Fuerunt igitur ab Adam usque ad diluvium
» generationes decem, anni 2242.... Hucusque

(1) S. Hieron., *lib. hebr. quæst. in Genes.*, ad loc.

(2) Jul. Hil., *de Mundi durat.*, VII. In quo libello sequentia curiosa satis invenies : « Septimo et millesimo anno incipiente (p. Ch.) fide » vera credentes liberabuntur e mundo : tunc enim erit resurrectio » prima omnium sanctorum. » *Ibid.*, XVI.

(3) P. Oros., *Histor.*, l. I, c. I.

» (ad Exodum, aut potius ingressum in Palæsti-
» nam) quinque libri Moysis continent gesta an-
» norum 3700 secundum LXX interpretes (1). »

« (Diluvio) finitur prima ætas sæculi per annos
» 2242.... A diluvio usque ad nativitatem Abrahæ
» anni 942; finitur secunda ætas per annos
» 3184 (2). » Is tamen fluctuari incipit, nam alibi propius ad numeros hebraicos accedere videtur (3). Sed non ita multo post, Venerabilis Beda maximam auctoritatem his numeris addidit : duobus scilicet locis materiam chronologicam attingens, profitetur sequendam esse, uti habet Hieronymus, hebraicam veritatem; cujus sententia tanti facta est, ut fere omnes historici sequentibus sæculis, et ipsi sequi voluerint « hebraicam veritatem. » — « Prima est, inquit Beda, mundi hujus ætas
» ab Adam usque ad Noe, continens annos juxta
» hebraicam veritatem 1656, juxta LXX inter-
» pretes 2242.... Secunda ætas a Noe usque ad
» Abraham, generationes juxta hebraicam aucto-
» ritatem complexa X, annos autem 292 : porro
» juxta LXX interpretes, annos 1072, genera-
» tiones vero XI (4). »

« Arphaxad annorum 35 genuit Sale. Hic LXX
» interpretes una generatione plus quam hebraica
» veritas posuere dicentes quod Arphaxad, cum
» esset annorum 130, genuerit Cainan; qui, cum
» fuerit 130 annorum, ipse genuerit Sale. Quorum

(1) S. Prosp. Aquit., *Chronic.*, parte Iª.

(2) S. Isid. Hispal., *Chronic.*, ætat. I et II.

(3) S. Isid., *Procem.*, t. V, p. 162.

(4) Ven. Bedæ, *de Temporum ratione*, c. LXVI, procem.

» translationem evangelista Lucas hoc loco videtur esse secutus. Verum chronographi Græcorum cum generationum seriem ad auctoritatem hebraicam castigassent, ablata una generatione Cainan... dederunt huic ætati annorum summam minorem quidem LXX editione... sed hebraica veritate majorem (1). »

Paucis abhinc annis Claudius quidam, haud temere pro Taurinensi episcopo qui anno DCCCXIV° scribebat, a pluribus habitus, his monitis opus suum historicum incipiebat : « Quia igitur fautore Deo, annos a conditione mundi cum serie generationis juxta hebraicam veritatem pariter adnotatos Deo juvante magna ex parte superius jam ostendimus, nunc eosdem denuo recapitulando latius exponemus.... Si quis forte minus Scripturarum divinarum studiis eruditus de hoc opere dubitare tentaverit, redeat ad divinos secundum hebraicam veritatem scriptos libros, et quidquid ibidem invenerit eos teneat et credat, meque damnare desistat.... Et si cujus forte in hac re obstinata mentis perdurat intentio, eat ad Judæos Ecclesiæ inimicos, et in eorum codicibus hebræa lingua conscriptis annorum summam requirat, et quidquid ibidem invenerit, hoc credat et teneat, quia, ut ait B. Augustinus in libro *de Civitate Dei*, XV, ei linguæ potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio (2). »

(1) *Ibid.*, æt. II; cf. qq. ejusdem *Hexaemeron*, l. II, in Gen. V, 2 et XI, 12.

(2) Claud., *Chron. brev.*, init.

Hebraicis pariter numeris adhæsit Freculphus Lexoviensis episcopus : is enim, memoratis patriarcharum annis : « Ergo, inquit, a nativitate » Abrahæ qui decimus fuit a Noe, sicut nunc » declaratum est, supputa per singulas ætates » numerum annorum ab ortu uniuscujusque patris » usque ad ortum subsequentis filii, et invenies » 292 annos, id est a nativitate Abrahæ usque » ad diluvium. Quamvis B. Hieronymus in Chro- » nico Eusebii, atque Orosius in prima fronte » suorum librorum, a quibus etiam Josephus non » longe exorbitat, aliter sentiant in numero anno- » rum, dicentes a nativitate Abrahæ usque ad » diluvium inveniri, supputando retrorsum, » annos 942 (1). »

S. Ado Viennensis textum hebraicum sequitur in vita patriarcharum texenda, imo Cainan omittit de quo sequentia proferre non dubitat : « Hic » Septuaginta interpretes unam generationem » plus quam hebraica veritas posuerunt;... quo- » rum translationem evangelista Lucas hoc loco » videtur secutus, » neque tamen sanctum scriptorem magnopere conturbavit Lucæ exemplum, hebraicos numeros nihilo secius sequi perseverantem (2).

Annales Quedlinburgenses et Lambertini, a sæculo nono ad sæculum duodecimum, iisdem fere verbis conscripti, Hebræorum computis pedetentim adhærent, atque ipsum Cainan excludunt :

(1) Frec. Lexov., *Chron.*, t. I, l. I, c. XXXV.

(2) S. Ado. Vienn., *Chron.*, ætat. I et II.

QUEDLINBURGENSES.	LAMBERTINI.
Sunt autem ab Adam usque ad cataclysmum anni 1650.	Fuerunt autem ab Adam usque ad cataclysmum anni 1656.
	Secunda ætas continet annos 292.
	Tertia ætas continet annos 942.
	Fuerunt autem anni ab Adam usque ad Abraham 1947.
Sunt autem ab origine mundi usque ad terminum regni judacei anni 3363.	Fuerunt autem anni ab origine mundi usque ad terminum judaici regni anni 3363 (1).

Sæculo autem undecimo, hac ratione Chronicon incipiebat Hermannus Contractus : « Dominus » noster nascitur transactis ab initio mundi secun- » dum hebraicam veritatem annis 3952, secundum » LXX interpretes vero 5199 (2). » Contra ætate eadem, Hugo Flaviniacensis græcum computum exsuscitare nitebatur (3), at irrito prorsus conatu : Ekkehardus enim Uraugiensis in libro cui titulus *Chronicon universale, epythome id est abbreviatio Eusebii*, breviores numeros antehabebat, conclusa secunda ætate his verbis : « Hic etiam finitur nu- » merus ætatis secundæ, habens annos 292, et fiunt » simul anni duarum ætatum. Hoc est ab Adam » usque ad Noe et diluvium, et a diluvio usque ad » Abraham, 1948 secundum hebraicam verita- » tem. Orosius autem secutus LXX interpretes » dicit ab Adam usque ad Abraham esse annos

(1) Pertz, *Monumenta Germaniæ hist. script.*, t. III, p. 22.

(2) Herm. Contr., *Chronic.*

(3) Hug. Flav., *Chronic.*, l. I, fol. 10.

» 3184 et ab Abraham usque ad Christum
» 2015 (1). »

Sequentibus annis tandem prævaluit chronologia hebraica, ita ut eruditissimus magister Petrus Comestor in *Historia scholastica*, contra testimonia LXX interpretum et ipse meminerit de hebraica veritate (2). Is tamen deinceps Cainan recepit, at non ita quidem *Biblia cum glossa ordinaria et postillis Nicolai Lirani necnon additionibus Pauli Burgensis*, quo opere nil melius ducebatur toto ævo medio ; allatis enim textibus Hebræorum et Lucæ evangelistæ : « Quo-
» rum quid verius sit, ait scriptor ingenuus simul
» atque anceps, Deus novit (3). »

Sopita jamdudum controversia circa sæculum XVI^{um} et XVII^{um} denuo exarsit : Baronius in *Annalibus ecclesiasticis* (4) LXX secutus est, contra vero Usserius, Scaliger et Petavius — chronologorum hujus ætatis princeps, auctore ipse Briano Walton, — hebræis adstipulati sunt.

Imo, quod certe mirandum, Joannes Morinus in *Exercitationibus biblicis*, utramque chronologiam conciliare nisus est : « ad irreptiones mendasque
» post Ecclesiæ stabilitum computum in alteru-
» trum textum illapsas recurri sane non potest, »
quod verissimum est ; audi vero nunc falsissimum :
« Celebrem illam mutationem uno tantum Deus

(1) Ekk., *Chron. univ.*, æt. II.

(2) P. Comest., *Hist. schol.*, c. XLI.

(3) *Biblia cum gloss. ord.*, in Luc. c. III.

(4) Baron., *Apparat. ad annal.*, n. 118.

» permisit, ut nova epocha sed mystica signifi-
» caretur ;... itaque litteralis et vere mosaicus
» annorum a mundo condito computus ille mihi
» videtur qui a multis secundum LXX interpretes
» dicitur. Alter vero qui secundum Judæos aut
» Hebræos dici solet, computus est mysticus,
» cujus epocha mystica est, aut in mysterio fun-
» data (1). »

Non ita multo post eruditissimus L. Cappellus (2), quem secuti sunt Hugo Grotius (3) et Isaac Vossius, LXX patrocinium suscepit ; at ii peritissimi viri causam obtinere non valuerunt. Johannes d'Espierres, Monasterii Aquicinctii magnus prior, sequens proponit dubium : « Nullibi
» proclivior lapsus quam in iis quæ ad chrono-
» graphiam pertinent, dum numerus unus facil-
» lime et insensibiliter se ingerit pro alio, et eo
» maxime quod græca scriptura utatur notis nu-
» merorum quæ imperceptibiliter pervertuntur et
» vitiantur. Cum autem inter textum hebraicum
» et versionem Septuaginta maxima sit discordia
» in supputatione annorum, inquirendum restat
» utri potius fidendum ac standum ; et cum alter-
» uter codex necessario sit depravatus, viden-
» dum in quem corruptio illa sit rejicienda. » Et propositum sic dubium concludit, allatis statim

(1) J. Mor., *Exerc. bibl.*, 1633, de hebræi græcique textus sinceritate, l. 1, exerc. VII, c. IV.

(2) *Criticæ sacra* auctoris filii ope edita anno 1650.

(3) Grot., *Annot. in Vet. Test.*, Gen. c. V, 18 : « De multis discre-
» pantiis quæ in hoc et sequentibus capitibus circa numeros annorum
» apparent in codicibus hebræis, samaritanis, græcis, nihil melius
» quod dicam habeo, quam quæ dixit in *Critico Sacro* Cappellus. »

Sixti Senensis et Bonfrerii auctoritatibus : « Tex-
» tum hebraicum sequuntur versio vulgata,
» S. Hieronymus, S. Augustinus, et scriptores
» omnes hodierni, quibus et nos suscribimus, dici-
» musque versionem LXX interpretum in hoc
» annorum calculo esse vitiosam (1). »

At contra textum hebraicum nova cudit tela P. Pezron; is enim ex orientalibus antiquitatibus argumenta deprompsit hucusque fere inaudita :
« La vaste étenduë de ces Regnes et de ces Em-
» pires (de Chaldée, d'Egypte et de Chine) ren-
» verse entiérement le calcul du Texte Hébreu et
» de la Vulgate.... (L'antiquité des siécles) est
» nécessaire pour défendre l'autorité des Livres
» sacrez contre les Pré-Adamites, les Libertins et
» autres semblables; et pour établir la Réligion
» chez les Orientaux, principalement chez les
» Chinois et les Peuples voisins (2). »

Acriter contra P. Pezron, sed non ita fauste insurrexit D. Martianay, ostendere nisus orientales populos accurate cum Hebræis concinere, scilicet Sinarum imperatores *Fohi* et *Xin-nung*, esse Adam et Cain; Henoch ejusque filios minime distare ab *Hoangt*, *Xa-Hoan*, *Chen-Chiu*, ac *Coi;* et *Yai* nullum alium esse præter Javan a quo nomen accepit provincia *Yu-nan* (3). Instante autem P. Pezron in opere cui titulus *Défense de l'Antiquité des Tems,* M. Lequien, qui antea con-

(1) D'Espierres, *Auctor. Script. Sacræ,* 1651, tr. II, disp. II, dub. V.

(2) *L'Antiquité des Tems rétablie et défenduë contre les Juifs et les nouveaux Chronologistes,* 1687; avertiss.

(3) D. Martianay, *Déf. du texte hébreu,* 1689, p. 436.

scripserat libellum (1) in patrocinium textus hebraici, edidit quamdam δευτέρωσιν græcos numeros manu valida disturbantem, at miserrime circa scientias orientales peccantem, quod certe tunc temporis ei non erat vitio vertendum; his ergo defectibus minime obstantibus, ejus sententia fere omnibus accepta fuit.

Universorum ac singulorum quibus chronologiæ sacræ navare operam placitum fuit, completum laterculum texere minime intendimus, utpote tractatui nostro ncque deccns neque utile : at ex iis quæ attulimus in promptu est conclusio depromenda. In Ecclesia romana, prioribus sæculis chronologia LXX interprctum uti vera a multis habita est; ætate vero sequenti, Ecclesia minime reclamante, in ejus locum suffecta est hebraica supputatio : hinc prudens quisque sententiæ sapientis theologi ac clarissimi viri DD. Meignan adhærendum esse dijudicabit :

« Quant aux dates qui se rapportent au temps » antérieur à Abraham, il existe trois chronologies bibliques, en désaccord entre elles, et dont » la différence se calcule par plus d'un millier » d'années. Ces chronologies, dans les points où » elles se contredisent, ne s'imposent pas au » croyant. Il n'y a point eu à leur égard, dans » l'Église, de préférence constante. Jusqu'au » XVIIe siècle, on a donné la préférence au calcul » des Septante; du XVIIe siècle au XIXe, on adopta » généralement le comput de la Vulgate. Beau-

(1) M. Lequien, *l'Antiquité des Tems détruite*, 1693.

» coup d'historiens sont revenus, de nos jours, à
» la chronologie de la version grecque, *non qu'ils*
» *la croient plus authentique,* mais parce qu'elle
» donne plus de facilité pour établir la concordance
» de l'histoire sainte avec l'histoire générale (1). »

(1) Mgr Meignan, *le Monde et l'homme primitif selon la Bible*, p. 164.

CAPUT XVIII

Græcorum numeri argumentis cum extrinsecis, tum intrinsecis suggillantur.

Quo tempore translatus est in græcanicum sermonem Pentateuchus, plura exstitisse hebræi textus diversa variis lectionibus exemplaria, nemo est qui negare præsumat : collatis enim cum hebraico et samaritano codice multis LXX locis, istud luce clarius evinci potest. Unum alterumve exemplum ad faciendam verbis fidem, seligamus oportet.

In libro *Geneseos* I, 14, ubi in hebraico textu solum legitur להבדיל, verterunt LXX εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, τοῦ διαχωρίζειν. At revera samaritanus habet להאיר על ארץ ולהבדיל, plane cum græca versione consonans. — Eodem libro, II, 24, verterunt καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα, ubi hebraicus textus nonnisi והיו לבשר exhibet : sed in samaritano legitur : והיו משניהם לבשר. — In narratione mortis Abel, *Gen.*, IV, 8, lectio accuratior in LXX versione deprehendi videtur : pro אחיו textus hebræi, hæc pericope אחיו נלכה השדה et τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ · διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον in samaritano et græco legitur.

Hoc ultimo exemplo quæ sit verior lectio, aperit

fortasse ipse contextus; at sæpius res ita se non habet, puta cum de numeris aut de nominibus propriis agitur, quæ identidem possunt, contextu haudquaquam repugnante et sensu minime immutato, amanuensium vitio deturpari.

Attamen, paribus cæteris, prudenter ac probabiliter æstimari potest eam esse antehabendam lectionem quæ pluribus exemplaribus profertur, cum minore negotio paucioribus error obrepat. Atqui ad numerum si attendas, perlege nunc e collatione ex adverso posita quinam inter antiquos translatores hebraico textui faveant.

His quidem addi possent tum Targum Hierosolymitanum, tum arabica Saadiæ versio; ea tamen consulto omisimus uti sero nimis translata, et indigna prorsus quæ in patrocinium hebræi textus cujus in gratiam dantur testes multo anteriores, afferantur. E Vulgata enim quæ fuerit hebraica lectio tempore S. Hieronymi, compertum habemus; Syriaca versio ad primum usque æræ nostræ sæculum pertingit; imo chaldaicæ interpretationes, *Targumin* dictæ, anteriores huic ætati Judæorum traditiones nobis patefaciunt.

Aut ergo a tempore græcæ versionis usque ad originem translationum istarum, omnes Hebræorum codices, relictis genuinis numeris, ad fidem unius exemplaris mendosi imperita manu deturpati sunt; aut ipsi LXX editorum fraude, uti asserit B. Augustinus supra citatus (1), perverse adulterati; aut denique genuinus prædicandus est textus Hebræorum, et LXX ex mendoso exemplari verterunt.

(1) Cf. supra, p. 211.

Hebraicus textus.	Targumin Onkeli et Jonathæ	Syriaca versio	Vulgata versio
Hæ generationes Sem.	Hæ sunt generationes Sem.	Hæ sunt generationes Sem.	Hæ sunt generationes Sem.
Sem filius 100 annorum et genuit Arphachsad duobus annis post diluvium. Et vixit Sem postquam genuit Arphachsad 500 annos, et genuit filios et filias.	Sem filius 100 annorum erat quando genuit Arphaxad duobus annis post diluvium. Et vixit Sem postquam genuit Arphaxad 500 annos, et genuit filios et filias.	Sem natus 100 annos genuit Arphachsar duobus annis post diluvium. Et vixit Sem postquam genuit Arphachsar 500 annos, et genuit filios et filias.	Sem erat 100 annorum quando genuit Arphaxad biennio post diluvium. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad 500 annis; et genuit filios et filias.
Et Arphachsad vixit 35 annos et genuit Shelach.	Et vixit Arphaxad 35 annos et genuit Shelach.	Et Arphachsar vixit 35 annos et genuit Sholoh.	Porro Arphaxad vixit 35 annis, et genuit Sale.
Et Shelach vixit 30 annos et genuit Heber.	Et Shelach vixit 30 annos et genuit Heber.	Et vixit Sholoh 30 annos et genuit Hobor.	Sale quoque vixit 30 annis et genuit Heber.
Et vixit Heber 34 annos et genuit Pheleg.	Et vixit Heber 34 annos et genuit Phaleg.	Et vixit Hobor 34 annos et genuit Pholog.	Vixit autem Heber 34 annis et genuit Phaleg.
Et vixit Pheleg 30 annos et genuit Rehu.	Et vixit Phaleg 30 annos et genuit Rehu.	Et vixit Pholog 30 annos et genuit Arhu.	Vixit quoque Phaleg 30 annis et genuit Reu.
Et vixit Rehu 32 annos et genuit Serug.	Et vixit Rehu 32 annos et genuit Serug.	Et vixit Arhu 32 annos et genuit Serug.	Vixit autem Reu 32 annis et genuit Sarug.
Et vixit Serug 30 annos et genuit Nachor.	Et vixit Serug 30 annos et genuit Nachor.	Et vixit Serug 30 annos et genuit Nochur.	Vixit vero Sarug 30 annis et genuit Nachor.
Et vixit Nachor 29 annos et genuit Therach.	Et vixit Nachor 29 annos et genuit Therach.	Et vixit Nochur 29 annos et genuit Thoroch.	Vixit autem Nachor 29 annis et genuit Thare.
Et vixit Therach 70 annos et genuit Abram.	Et vixit Therach 70 annos et genuit Abram.	Et vixit Thoroch 75 annos et genuit Abrom.	Vixitque Thare 70 annis et genuit Abram.

S. Augustini positio vix argumenti speciem in sui gratiam afferre valet; equidem fateor non deesse qui æstiment hos numeros mutatos fuisse ut hac ratione græca interpretatio immensis Ægyptiorum dynastiis accommodaretur : at hypothesis non potest hypothesin confirmare.

Neque probabilior apparet omnium exemplarium hebraicorum adulteratio : quanam auctoritate, vel quonam consilio corruptionem istam moliti essent Judæi ? Qua potestate fraudem exsequi potuissent quibusve mediis? Jamdudum plures Patres, uti præcedente capitulo vidimus (1), crimen istud argumentis diluerunt. At enim nonnullis in locis græca lectio hebraicæ anteponenda videtur, v. g. *Gen.* IV, 8. Sed multo pluribus in locis Hebræi veriorem lectionem tenuerunt; imo exemplum in confirmationem adductum, corruptionem textuum nullam, sed trium vocularum omissionem supponit, quæ facile casu accidere potuit : verum de additis ac dein detractis centenis, quibus græcæ ab hebraicis differunt genealogiæ, fortuitus casus fingi omnino non potest. Tertia igitur hypothesis uti verisimilior est ducenda, LXX interpretes e codice mendoso versionem conscripserunt.

Attamen qui græcorum numerorum patrocinium suscipiunt, ad duos testes provocare solent, scilicet textum Samaritanum, et laterculos Josephi scriptoris. Qui quam dubiæ habendi sint fidei, e sequentibus, uti speramus, breviter palam fiet.

Fatemur quidem Samaritanorum numeros cum Græcis hodie plus minusve accurate consonare;

(1) Cf. supra, p. 205 et seqq.

quanam arte aut qua fraude, litem instituere non intendimus neque dirimere. At certo certius est istos, quos in Samaritano Pentateucho legimus numeros, haudquaquam genuinos, sed turpiter adulteratos existere : cujus adulterationis testem producere possumus omni exceptione majorem, ipsum B. Hieronymum. Non quidem completum Samaritani codicis descripsit laterculum, sed quatuor tantum numeros referendos esse judicavit, ad Lamech scilicet et Mathusalam pertinentes. Hi vero non uti hodie præjudicatis opinionibus aut systematis serviebant, sed cum hebraicis numeris miro modo cohærebant. Conjectis prius oculis in sequentem tabellam, relege textum subjacentem Hieronymi :

	VIXIT ANTE FILIUM GENITUM			VIXIT POST FILIUM GENITUM			UNIVERSI VITÆ ANNI		
	Hebr.	LXX	Sam. hodiern.	Hebr.	LXX	Sam. hodiern.	Hebr.	LXX	Sam. hodiern.
MATHUSALEM	187	167	67	782	802	653	969	969	720
LAMECH	182	188	53						

« In Samaritanorum libris ita scriptum reperiet : vixit Mathusala centum octoginta septem » annis et genuit Lamech. Et vixit Mathusala, » postquam genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, et genuit filios et filias. » Et fuerunt omnes dies Mathusalæ anni nongenti » sexaginta novem et mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis et genuit » Noe(1). » Is erat Samaritanus Hieronymi ætate : qui sibimetipsi cohærere non valuit, quomodo in favorem LXX testimonium istius suscipies?

(1) S. Hieron., *Quæst. in Gen.*, ad c. V, 25.

Neque causa melior evadet interposita ad Fl. Josephum appellatione : quippe qui utramque chronologiam, licet plane diversam, variis in locis amplectatur ; ejus proinde testimonium non ita magni est faciendum.

Scimus auctorem illum, patriarcharum vitas describentem, Græcis bibliis fere per omnia concinere videri, tum ante, cum post diluvium (1). At vero si ab eo quæras ipsam summam annorum tum ante diluvium, tum post diluvium elapsorum, minime græcam supputationem obtinebis, sed valde breviorem textui hebraico absolutis numeris consonam :

Τῆς δὲ οἰκοδομίας τοῦ ναοῦ Σολομῶν ἤρξατο ... ἀπὸ τῆς ἐπομβρίας μετὰ χίλια καὶ τετρακόσια καὶ τεσσαράκοντα ἔτη. Ἀπὸ δὲ τοῦ πρώτου γεννηθέντος Ἀδάμου ἕως οὗ τὸν ναὸν ᾠκοδόμησεν ὁ Σολομὼν διεληλύθει τὰ πάντα ἔτη τρισχίλια καὶ ἑκατὸν καὶ δύο (2).

Deinceps de patriarcha Abraham hæc habet : Δευτέρῳ ἔτει καὶ ἐνενηκοστῷ πρὸς διακοσίοις μετὰ τὴν ἐπομβρίαν ἐγενέτο (3).

In priori pericope affirmat Josephus templum Salomonis fuisse conditum anno mundi 3102, anno vero diluvii 1440; proinde, eo auctore, a creatione ad diluvium usque anni 1662 effluxerunt, qui certo valde differunt a 2242 annis textus græci, vix autem ab hodierna hebræorum lectione, annis videlicet 1656.

In pericope altera, recensitis temporibus a nativitate Arphaxad, aut potius a diluvii ætate usque

(1) Fl. Jos., *Antiq.*, l. I, c. VI, n. 5.
(2) Fl. Jos., *Antiq.*, l. VIII, c. III, n. 1.
(3) *Ibid.*, l. I, c. VI, n. 5.

ad Abraham, annos 292 supputat qui perfecte congruunt hebraicæ chronologiæ, minime vero textibus græcis secundum quos 983 anni confiunt.

Si ergo Josephus in testimonium fuerit adductus, certe non potius pro græca quam pro hebraica supputatione sententiam dixisse habendus erit; idem jam antea de Samaritano textu compertum habemus, ita ut nullus reipsa græcis codicibus patrocinetur.

Neque LXX interpretibus magis favent argumenta intrinseca, id est ex attento ipsius narrationis ordine deprompta.

Ex his enim qui non solum naturæ legibus subjacent, sed plurimis fortuitis casibus sunt obnoxii, quidam fingi possunt eventuum concursus quos judicio plus minusve probabili contingere non posse pronuntiabimus.

Puta decem generationum seriem, contingetne ut nunquam patre major natu moriatur filius? Et si ponamus cum Patribus pluribus uti Euseb. in libro *de Generation.*, vel etiam ipsis Judæis doctoribus uti R. Kimhi *init. libri Paral.*, hac in serie describi primogenitorum sin semper facto uti Ruben, saltem de jure uti Juda, seriem continuam, alia statim exorietur difficultas : etenim si patriarcharum ætate, ipsa generatio differtur usque ad annum circiter 130 pro iis qui postea adhuc annos 430 victuri sunt, numquid credibile est tantum temporis esse exspectandum iis qui nonnisi posthac annos 200 erunt superstites? Atqui talia supponit textus græcus; primogenitus nunquam moritur patre major, Sem natus annos 600, Arphaxad 535,

Cainan-Sale 460 (nam quia probabiliter textus primævus Cainan omiserat simul atque ejus annos, omnes istius numeros a generatione sequenti mutuati sunt interpolatores), Heber 404, Phaleg 339, Reu 339, Serug 330, Nachor denique 198.

Neque minus suspectam ætatem generando aptam ducas : exceptis etenim primo et ultimis patriarchis de quibus specialis aderat ratio, gignit Arphaxad primogenitum suum anno 135°, postea adhuc 430 (1) annos victurus; Cainan-Sale anno 130°, victurus dehinc 330; Heber anno 134°, victurus adhuc 270; Phaleg anno 130°, licet victurus 209; Reu 132°, superstes dein 207 ; Serug 130°, quamvis nonnisi 200 annos posthac superstes!

Nimis forsan curiose quærunt nonnulli, utrum hæc pubertatis procrastinatio tam fidenter ultra sæculum contra hebraicos numeros græco textu protracta, cum viris tum mulieribus communis fuerit : et quia nulla suppetit ratio negandi, concludunt tunc temporis lentiorem processisse naturam, ita ut gravidæ non solum menses denos, sed et centenos explere debuerint : a quibus certe quærendis simul ac respondendis prudentes et verecundi abstinendum duximus.

At hæc procrastinata generatio alia secum incommoda profert, non modo omnibus communia,

(1) Hos numeros, codicibus discrepantibus, præferendos duximus, instituta collatione cum textibus Samaritano et Æthiopico qui LXX sequi profitentur.

sed quæ specialius ex historia Abrahæ patriarchæ valemus colligere.

Ortus enim Isaaci miraculi loco exhibetur, habita ratione ætatis parentum, non solum Traditione, sed et ab ipso inspirato scriptore. Audi traditionis testem B. Ephrem Syrum :

« Hoc tempore, ad te revertar, et erit Saræ
» filius. Hæc vero risit in corde suo dicens : post-
» quam vetula facta sum, juvenis fiam? sed et
» dominus meus consenuit. Et sane si Sara
» signum propterea petiisset, illi utique dandum
» fuisset.

» Sara Isaacum suscepit, diuturnæ patientiæ
» præmium, servum ad imaginem Domini sui
» formatum (1). »

His junge, si placet, hæc S. Johannis Chrysostomi verba : Καὶ τίνος ἕνεκεν τόσοῦτόν χρόνόν ἐμακρόθύμησεν ; οὐχ ἵνα τοῦ δικαίου μόνόν τὴν ὑπόμονὴν, καὶ τὴν πολλὴν ἀρετὴν καταμάθωμεν, ἀλλ᾽ἵνα καὶ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως τὴν ὑπερβολὴν ἴδωμεν. Ἡνίκα γὰρ ἀπηγόρευσεν ἡ φύσις, καὶ πρὸς τὴν παιδοποιίαν λοιπὸν ἄχρηστος ἦν, καταμαρανθέντων τῶν αὐτοῦ μελῶν, καὶ κατεψυγμένων ὑπὸ τοῦ γήρως, τότε κ. τ. ἅ. (2)

Insuper mens auctoris sacri aperte ex ipsis textus verbis colligitur : non solum ad Saræ sterilitatem attendit, sed et ad provectam Abrahæ ætatem, quæ spem filii gignendi præcludere asseritur. Domino enim Abrahæ obviam facto : *Domine Deus*, ait Abraham, *quid dabis mihi? ego vadam absque liberis : mihi non dedisti semen, et ecce vernaculus meus hæres meus erit. Statimque*

(1) S. Ephrem, *in Genes.*, c. XVII; *in Natal. Dom.*, VI serm.

(2) S. Johannis Chr., *in cap. XVII Genes.*, Homil. XXXIX, 2.

sermo Domini factus est ad eum dicens : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem.... Credidit Deo et reputatum est ei ad justitiam (1). Neque minus aperta verba cætera ipsius : *dixit Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium. Cecidit Abraham in faciem suam et risit, dicens : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet* (2)? Insuper audita divina promissione, Sara risit : *erant autem ambo senes; Consenui*, aiebat Sara, *et dominus meus vetulus est* (3). His vero non obstantibus : *Visitavit Dominus Saram, concepitque et peperit in senectute sua, cum Abraham esset centum annorum : hac quippe ætate patris natus est Isaac* (4).

Hinc merito B. Paulus fidem Abrahæ commendat, et uti cæteris normam præclaro isto elogio proponit : *Qui contra spem in spem credidit... et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promisit potens est et facere* (5).

At quomodo mireris Isaac natum anno patris

(1) Gen., XV, 1-6.

(2) Gen., XVII, 15-18.

(3) Gen., XVIII, 10.

(4) Gen., XXI, 1-2.

(5) Ad Rom., IV, 18-21.

centesimo, admissis græcorum codicum numeris : gignit Sem anno 100°, Arphaxad 135°, 130° Cainan-Sale, 134° Heber, 132° Reu, 130° Phaleg ac Serug, 179° Nachor secundum exemplar Alexandrinum ; horum vestigiis insistens, sane Abraham circa annum centesimum desperare minime poterat, neque ridere mirabunda Sarai, quæ vix eodem computo ætatem pubertatis attigerat, anno nonagesimo nondum elapso ; neque erat dehinc prædicanda fides Abrahæ, neque mirabilis Isaac nativitas, neque arguenda matris sterilitas.

Contra Abrahæ fides, Saraique risus ac dubitatio, haud ægre intelliguntur admissis Hebræorum numeris quibus si fidem adhibeas patriarchæ gignere inceperunt nati annos 35, 30, 34, 30, 32, 30, 29 ; consulto omisimus Thare qui perhibetur genuisse Abraham annos natus 70, quia rationes non contemnendæ incertos nos reddunt num is fuerit Thare primogenitus, imo suadent Aran fuisse natu majorem.

His accurate concinunt quæ de Isaac narravit Moyses ; qui cum prius liberos non procreasset quam fuisset sexagenarius, causatur auctor inspiratus Rebeccæ sterilitatem : proinde supponit homines istius ætatis antea fuisse generationi aptos : *Cum Isaac esset quadraginta annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis, deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis : qui exaudivit eum ;... sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli* (1).

(1) Gen., XXV, 20, 21, 26.

Eadem conclusio non quidem tempore generationis, sed tempore mortis uniuscujusque demonstratur, scilicet græcos numeros esse fictitios : *Fuerunt dies vitæ Abrahæ 175 anni, et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum* (1). Talibus verbis nunquam insigniunt auctores sacri hominem quem mors prævenit præripitque multis annis ante statutum communemque hominibus istius ævi terminum, nunquam hoc elogio exornant caducum juvenem, aut præmatura senectute occupatum. Isaac, David, Joiada anno 130° deficiens, Job acto anno 140°, leguntur mortui *in senectute bona plenique dierum* (2).

Atqui receptis numeris textus LXX, quis scribere auderet Abraham in senectute bona mortuum, dierumve plenum, cum is præreptus sit anno 175° ætatis suæ, patre quidem Thare morituro anno 275°, ejusque avo mortuo circa annum 304um (3), proavo annum 330um agente? Contra admissis Hebræorum numeris, omnia sibi ita cohærent, ut nullo negotio dici valeat Abraham senectute bona plenusque dierum deficiens ; namque hujus pater Thare 205 annos vixerat, avus vero nonnisi annos 148, imo ex quinque generationibus anterioribus nullus usque ad annum 240um pervenerat : quæ

(1) Gen., XXV, 7, 8.

(2) Gen., XXXV, 29 ; I Paral., XXIX, 28 ; II Paral., XXIV, 15 ; Job, XLII, 16.

(3) Perperam 198 in cod. Alex.; tum series numerorum, tum lectio Æthiopica numerum 304 inducunt.

omnia inter Abraham ejusque abavos discrimen non ita magnum exstitisse describunt.

Plura etiam istius generis indicia congerere valemus e quibus abunde et liquido pateat græcis ab amanuensibus chronologiam fuisse miserrime deturpatam ; at his finem imponere juvat, ne lectori tædium afferamus. Non quidem negamus textum hebraicum fuisse quandoque in numeris adulteratum; sed eo pertinet disquisitio nostra, ut ostendamus genealogias græci textus, ad numeros quod attinet, minime habendas esse uti genuinas : parum certe gratus labor, at proposito nostro maxime necessarius : ne simus isti similes *qui ædificavit domum suam super arenam : et descendit pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit ; et fuit ruina illius domus magna* (1).

(1) S. Matth., VII, 27.

CAPUT XIX

Chaldææ et Ægypti antiquitati auctores ecclesiastici parum favent.

Ex ea licet perbrevi quam præmisimus quæstionis historiam, statim colligi potest ubinam cardo controversiæ jaceat : etenim optime succedunt qui græci codicis numeros exsufflare intendunt, minime vero hebraicam chronologiam confirmare valent adversus eos qui ad orientales antiquitates provocant : aut eas coguntur uti meras fictiones ac mentis deliramenta tradere; aut si omnem fidem derogare nolunt, saltem eas mutilant ac misere detruncant quo facilius intra arctissimos hebræi textus limites contineantur.

Hoc in loco jamdudum decertandum fuit iis qui pro tuenda Revelatione manus conseruerunt. Omnes enim antiquæ gentes originem suam a remotissimis sæculis repetere solebant : « Vulgo » creditum est, ut plerique genealogiæ auctores » sunt, quarumdam gentium quæ ex adventitia » stirpe non sunt, principes *terrigenas* esse, ut » in Attica, et Arcadia, Thessaliaque, eosque » αὐτόχθονας vocitari : et ut in Italia poeta cecinit : » *Nymphas indigenasque Faunos nemora quæ-*

» *dam tenuisse*, non difficile rudis antiquorum » credulitas recepit (1). »

Eodem sensu Phœnices seipsos e limo oriundos jactitabant, Sacan-Iathan teste ; Ægyptii ortum suum repetebant a solis æstu et vivifico Nili patris limo, deumque Num in monumentis exhibebant arte figulina primos informantem homines; in persicis libris, Ahura-Mazda ex arbore *reivas* virum et mulierem edolasse traditur.

Attamen gentes nonnullæ majoris antiquitatis palmam præripere contendebant, cæteris consentientibus aut non adeo repugnantibus. Phrygas quidem anteponit Herodotus (2), Ægyptios vero Apollonius Rhodius quem sequitur Hippys hac ductus ratione : « primos fuisse Ægyptios ratione » colligi posse ex aeris temperie et fecunda Nili » aqua (3). » Eis decem millenaria et amplius concedunt cum Græci tum Latini scriptores (4) maxima auctoritate conspicui.

His et similibus certe uti debuerunt, atque reipsa sunt usi, quicumque olim sanctorum Librorum auctoritatem vellicare tentaverunt, aut penitus evertere. Et licet perierint libri adversus christianam doctrinam tunc temporis conscripti, quæ continuerint sæpe ex apologiis pro christiana religione conjectari potest. Imo contra Vetus Testa-

(1) Censor., *de die nat.*, IV.

(2) Herod., II, 2.

(3) *Script. græc. fragm.*, t. II, p. 13, n. 1.

(4) Plato, *Tim.*, sub fine; Diod. Sic., *Biblioth.*, l. I, n. XXVI ; Leo Vell., *Script. græc. frag.*, t. II, p. 331, n. 1 ; Amm. Marcell., l. XXII, 15 ; Pomp. Mela, etc.

mentum multa ex istis annalibus jam fuisse deprompta ab Apione Ægyptio auguramur ex odio quo Manethunem persequitur Josephus Judæus, hunc sæpius mendacii coarguens, licet ejus auctoritati alibi non ita raro innitatur. Ὅτι δὲ ληρεῖ καὶ ψεύδεται περιφανῶς ἐπιδείξω (1)... Ἐν τούτοις πάλιν οὐ συνίησιν ἀπιθάνως ψευδόμενος (2). Chæremoni dein eum opponit ut ab utroque sese expediat : Οἶμαι δὲ φανερὰν εἶναι ἐκ τῶν εἰρημένων τὴν ἀμφοῖν ψευδολογίαν (3) · κ. τ. ἄ.

Primi Fidei christianæ defensores Ægyptiorum antiquitates irrident atque anilium fabularum loco habent; de origine mundi ad Autolycum conscribens Theophilus Antiochenus : ἕτεροι δὲ γένητον φήσαντες, εἶπον ὡς ἤδη μυριάδας ἐτῶν πεντεκαίδεκα ἐληλυθέναι καὶ τρισχίλια ἑβδομήκοντα πέντε ἔτη. Ταῦτα μὲν οὖν Ἀπολλώνιος ὁ Αἰγύπτιος ἱστορεῖ (4). Apud eumdem Theophilum audit Manetho Ægyptius chronographus ὁ κατ' Αἰγυπτίους πολλά φλυαρήσας, ἔτι μὴν καὶ βλάσφημα εἰπὼν ὥστε Μωϋσέα κ. τ. ἄ. (5).

Nactus occasionem, Julius Africanus Fidei inimicis aditum præcludere intendit, utramque chronologiam componere nisus, sacram scilicet et profanam. Quo res facilius cederet, omnia veterum scriptorum documenta colligere cœpit, non solum Græcorum, sed et Ægyptiorum Chaldæorumque, quorum antiquitatem penitus evertere sategit : Αἰγύπτιοι μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κομπωδέστερον χρόνων περιττὰς περιόδους καὶ μυριάδας ἐτῶν κατὰ θέσιν τινὰ τῶν παρ' αὐτοῖς ἀστρολογουμένων ἐξέθεντο... ἅς Αἰγυπτίων οἱ παρὰ Πλάτωνι ἱερεῖς εἰς Σόλωνα κατα-

(1) Joseph., *Contra Apionem*, l. I, 27.
(2) *Ibid.*, 29.
(3) *Ibid.*, 33.
(4) Theoph., *ad Autol.*, l. III, 16.
(5) *Ibid.*, 20.

ριθμοῦντες οὐκ ἀληθεύουσιν..... τὰ γὰρ Φοινίκων τρισμύρια ἔτη ἢ τὸν τῶν Χαλδαίων λῆρον, τὸ τῶν τεσσαράκοντα ὀκτὼ μυριάδων, τί δεῖ λέγειν (1);

Ex eodem capite Celsus philosophus, quem secuti sunt Porphyrius et Julianus, revelatam doctrinam calumniatus est; cui hoc modo respondit Origines : Ὁ Κέλσος, λεληθότως βουλόμενος διαβαλεῖν τὴν κατὰ Μωϋσέα κοσμοποιίαν, εμφαίνοντα μηδέπω μυρίων ἐτῶν αριθμῶν ἔχειν τὸν κόσμον, ἀλλὰ πολλῷ τούτον λειπόμενον.... Ἔστωσαν δὲ τῷ Κέλσῳ... διδάσκαλοι οἱ κατ' αὐτὸν σοφώτατοι Αἰγύπτιοι, ὧν τῆς σοφίας ἴχνη, ἄλογα ζῶα προσκυνούμενα (2).

Iter paravit Africanus Eusebio : is enim scriptorum plurium audaciam retundere voluit qui veritati revelatæ antiqua Ægypti aut Chaldææ documenta opponebant aut æquiparabant; proinde probare sategit omnem chronologicam disciplinam esse suspicioni ac dubiis valde obnoxiam, atque etiam hoc sensu accipi posse verba Domini : « Non est vestrum nosse tempora vel momenta; » istud ergo procemium suis Chronicis præmisit : « Opportunum duxi imo perutile ac necessarium » breviter hæc omnia disponere... scilicet ut possimus apprime intelligere quanto tempore ante » salutarem Dei manifestationem Moses exstite» rit.... Sed enim jam inde ab exordio palam » cunctis edico ne quis unquam adroganter con» tendat quasi fieri possit ut temporum certissima » cognitio adquiratur. Quod sane quisque sibi » persuadebit, si primo veracem magistrum cogi» tet familiaribus suis dicentem : non est vestrum

(1) Afric. in G. Syncelli *Chronogr.*, p. 17, c.-d.

(2) Orig., *contra Celsum*, l, I, 19, 20.

» nosse horas et tempora quæ Pater posuit in sua
» potestate (1). » Dehinc statim auctores ægyptios chaldæosque increpat : « Porro et Ægyptio-
» rum multæ feruntur insanæ historiæ, itemque
» Chaldæorum. Et quidem hi plus quam quadra-
» ginta annorum myriades temporibus suis con-
» tinere se putant ; Ægyptii autem deorum,
» semideorum, prætereaque manium et mortalium
» aliorum regum multas delirantium more fabulas
» nectunt. Quid ergo mea interest qui veritatem
» imprimis colo, res ejusmodi minutius perscru-
» tari (2)? »

Ipse Augustinus de ægyptiaca antiquitate mentem suam aperuit : « Frustra itaque vanissima
» præsumptione garriunt quidam dicentes ex quo
» rationem siderum comprehendit Ægyptus, am-
» plius quam centum annorum millia numerari.
» In quibus enim libris istum numerum college-
» runt, qui non multum ante annorum duo millia
» litteras magistra Iside didicerunt (3)? »

« Longe (Græcorum) numeri annorum illis
» Ægyptiis sunt minores, nec eis etiamsi ter tan-
» tum computarentur, æquarentur. Perhibentur
» enim Ægyptii quondam tam breves annos ha-
» buisse ut quaternis mensibus finirentur. Unde
» annus plenior et verior, qualis nunc et nobis et
» illis est, tres eorum annos complectebatur anti-
» quos. Sed ne sic quidem, ut dixi, Græca Ægyp-

(1) Eusebii *Chron. proœm.*, ed. Maï, *Script. Veter. Vatic. Coll.*, t. VIII, p. 1-2.

(2) *Ibid.*, p. 3.

(3) S. August., *de Civ. Dei*, l. XVIII, c. XL.

» tiæ temporum concordat historia. Et ideo Græcæ
» potius fides habenda est : quia veritatem non
» excedit annorum qui in litteris nostris, quæ
» vere sacræ sunt, continentur (1). »

Qua ratione ita sese gesserint auctores ecclesiastici, jam superius data occasione monuimus (2). Cum enim carerent scientifica chaldaicarum litterarum cognitione vix nostra ætate multo negotio restituta, sæpe nullo pacto poterant falsas veterum fabulas a veris sincerisque traditionibus secernere; nec mirum proinde si a Manethunianis dynastiis aut Berosianis supputationibus sese continuerint : minime auctores ecclesiastici, at certe historici veteres erroris sunt arguendi, qui nullo discrimine cum authenticam sæculorum memoriam, tum inanium cyclorum fictiones data opera permiscuerunt, nobisque pariter tradiderunt.

(1) *Ibid.*, l. XII, c. X.

(2) Cf. supra, p. 9-11; 123 et seqq.

CAPUT XX

Biblicis genealogiis plures deesse annulos, neque textus sacri, neque SS. Patrum auctoritati repugnat.

Ex his omnibus quæ superius duximus referenda, fit manifestum biblica documenta prouti ex hodiernis codicibus leguntur, seu potius prouti ab iis qui textum leviter præstringere consueverunt, primo intuitu intelliguntur, cum scientificis disquisitionibus et exploratis antiquorum monumentis, non ita quidem omnibus numeris consonare. Et revera in exemplaribus nostris nonnulla invenire est, quæ interpretis sapientiam vel etiam correctoris diligentiam passim certe requirant; ideoque Deus Ecclesiam Scripturæ indefectibilem interpretem custodemque constituit.

Nec mirum si humana litteris divinitus inspiratis interdum acciderint. Quæ ad christianæ doctrinæ ædificationem pertinent, Deus sane peculiari providentia illæsa omnino præservavit; ad mutationes autem et defectus accidentales quod spectat, talia Deus speciali auxilio noluit præcavere, sed eos lapsus accidere sivit in transcribendis Scripturis qui profanis amanuensibus excidere solent; imo quandoque, ex secreto consilio, ipsum auctorem

inspiratum ab adhibendis vocibus subobscuris minime prohibendum duxit. Cæteroquin Salomoni plures an pauciores fuerint uxores, Davidi stabula, vel etiam templo altitudinis aut latitudinis cubitus, parvi refert, diffitente nemine, et parum assereres ædificationi christianæ doctrinæ scitu necessarium : proinde ne mireris si in rebus tam levis momenti, Deus miracula non præstiterit revelatæ religioni parum utilia.

Nunc vero ad genuinum S. Scripturæ sensum eo majori libertate procedemus obtinendum quo evidentiores ac graviores passus est textus adulterationes. Alios numeros exhibent hebræi codices, alios græci, alios samaritani : imo græci et qui ex iis derivati æthiopes et coptici secum minime constant, sed permultas exhibent varias lectiones. Quin amplius hi defectus non solum circa annorum numeros, sed et circa ipsos patriarchas versantur, uti e Cainan didicimus.

Hinc loco tantopere perturbato, majori libertate uti potest interpres : illa cæteroquin iis adaugetur quæ ipsa Biblia circa Abrahæ coævos enarrat. Si enim vera sit pressior textus interpretatio, elapsis a diluvio generationibus decem, jam terra Chanaan diversis gentibus habitabatur, imo adeo numerosis ut intra brevissimum terræ tractum, quinque Pentapoleos civitates florerent, quarum scelera divinam iram jam accendissent. Syria, usque Damascum et Hoba plena populo, servos uti Eliezer suppeditabat. Præter eos Biblia de Rephaim, Zumzumim, Emim, et Chorreis usque ad campestria Pharan meminit, necnon et de Amalecitis, Amorrheis, etc.

Imo reges Elamitarum Palæstinam invadunt, a quo probabiliter abstinuissent si plaga orientalis aut septentrionalis incolis vacua fuisset. Ex altera regione, Ægyptus uti præpotens imperium nobis exhibetur, opibus atque populorum frequentia celeberrimum.

His perpensis, ut decenarium genealogiæ numerum servarent, plures affirmare non dubitabant teste Petavio : « singulare Dei Providentià factum ut præcipua quædam fecunditas inesset » quæ justam ætatem anteverteret : vel a pueris » ipsis probabile sit generandi vim illis et usum » potuisse suppetere (1). »

Quæ tamen non solum uti prorsus gratuita ducenda sunt, sed insuper aperte pugnant cum Bibliæ littera ; secundum enim laterculos allegatos, nullus e patriarchis a pueris genuisse liberos edíscitur ; imo Græcorum numeri, ad quos sæpe confugere solent varii interpretes, nulla ratione eis magis favent, tardiores nobis semper exhibentes generationes. Ad liberorum numerum quod attinet, nisi velimus hypothesi hypothesim fulcire, ex iis dijudicare debemus quorum soboles complete exhibetur : at si Jacob adscribuntur duodecim filii, a Joseph et Isaac nonnisi duo geniti leguntur, a Noe tres tantum, etc. ; quæ immanem fecunditatem certe non indigitant qua favente potuerit, decem generationum spatio, is hominum status ac numerus restitui qualem Biblia tunc temporis nobis enarrat.

His adde, si lubet, artium ac vitæ cultum, uti

(1) Petav., *de Doctr. tempor.*, l. IX, c. XIV.

ex auctoris sacri testimonio eum colliges, ut de monumentis ægyptiacis chaldaicisve sileamus.

Ea ætate agrum duplicis cavernæ emebat a filiis *Het* ante portam civitatis Abraham siclis probatæ monetæ CCCC; Sara, ad emendum oculorum velamen, argenteos M accipiebat; similiter Rebeccæ proferebat Eliezer inaures et armillas siclorum X aureorum; hæc vero vitæ luxuria, et commoditates probatæ monetæ, contractuum publicorum, urbium muris circumdatarum, servorum vernaculorum emptorumque plurimorum, etc., numquid in usum venire potuerunt vix elapsa decima a diluvio generatione? Neque minus florens Ægyptus cujus facultates ac divitiæ ita erant celebres ut ad eam famis tempore undequaque concurreretur; istius excultos mores ex historia Abrahæ aut Joseph facile explorabis : publica horrea, carceres, aulici multi et potentes, pontificum sapientiumque agmina, regia pharaonis majestas, opes ac potestas, et sexcenta his similia minime indigitant humanam societatem recenter a diluvii cataclysmo ereptam, sed potius multis generationibus adauctam perpolitamque, non solum in iis regionibus in quibus statim a diluvio patriarcharum familia redintegrata est, at etiam in valde distantibus orbis terræ tractibus! Imo non solum bonæ artes, sed et malæ, corruptio, idololatria, cruenta sacrificia, ipsa Laban et Rachel *teraphim*, Ægyptiorumve diabolica prodigia, jam senescentem mundum innuunt, atque divinæ potestatis ac justitiæ oblitum, haudquaquam contra recenter ab ipso Deo edoctum atque terribiliter castigatum! Nonne conclusionem nostram

ipse textus sacer, quasi singulis de Abraham aut Jacob narrationibus, injicere dicendus est mentibus omnium attente hæc capitula relegentium? Nonne videtur ipsa Biblia contra arctiorem atque litteralem nimis decem generationum explanationem, verba fecisse?

Ad veram textus sacri intelligentiam in præsenti quæstione eruendam, diversi scriptores tres confinxerunt hypotheses, quarum prima teneri omnino non potest, cæteras vero pro lubitu quisque amplecti valet.

Aut enim in conscribenda sæcūlorum præteritorum historia auctor inspiratus a veritate paululum deflexit, nobis tradens non quæ existerent rerum integritati consentanea, sed potius quæ essent suis ac gentis suæ præconceptis opinionibus accommodata. Aut etiam auctor inspiratus minime erravit, sed cum sit humani et orientalis sermonis libertate usus, talia conscripsit quæ non sint presse nimis accipienda; atque inde nihil obstat quin generationes ab eo descriptas, interpositis membris pluribus, uti mediatas intelligamus et interpretemur. Aut denique temporum injuria, istius catenæ ad originem generis humani pertingentis plures annuli paulatim ac latenter exciderunt, quos tamen in pristinum locum restituere temerarium necnon et impossibile foret; ita ut textus sacrarum Litterarum hodiernus, licet substantialiter ad nostram ætatem præservatus, tamen nec sit nec prædicari debeat ab omni corruptione accidentali immunis.

Primam opinionem, verius errorem dicam,

nonnulli catholici dubitando aut etiam affirmando protulerunt, circumscriptam tamen ad res mere scientificas, aut ad minuta paucula nullius fere momenti.

Cum enim quidam inspirationem olim contraxissent « ad ea quæ vel sint pure doctrinalia, vel » proximum aliquem aut necessarium habeant ad » doctrinalia respectum, » asserentes insuper « in iis quæ non sunt de instituto scriptoris vel » ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum » illi adfuisse quod piis cæteris auctoribus com» mune sit (1), » isti inde deducere non dubitaverunt auctorem inspiratum in talibus errare potuisse : quæ quam absona sint et veritati catholicæ inimica, nemo non videt. Namque hujus erroris patroni e duplici capite manifesto peccant : prius enim asserunt, quæ sunt falsa, ipsis libris sacris doceri posse, a quo sane Patres omnes abhorruissent, asserente Augustino : « Non licet dicere : » auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed aut » codex mendosus est, aut interpres erravit, aut » tu non intelligis (2). »

Insuper coangustata ab istis inspiratio haud minus, si ita loqui fas est attenta prioris erroris malitia, haud minus prædicanda est a catholicis dogmatibus aliena ; scriptum est enim Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος (3): neque ab hoc effato recesserunt Patres

(1) Holden, *Divinæ Fidei Analysis*, I, c. V, p. 56.

(2) S. August., *Contra Faustum*, l. II, c. 5.

(3) II Tim., III, 16.

et Concilia cum regulas sacræ Exegeseos promulgaverunt (1).

Hinc affirmandum est atque credendum tempora quæ biblicis genealogiis Spiritus Sanctus definire intendit, esse ab omni erroris suspicione remotissima; et licet parvi momenti quibusdam videri possit error circa diluvii aut creationis ætatem, hunc tamen errorem Deus docere neque potuit, neque voluit.

Alii e catholicis, et quidem viri graves ac doctissimi, sententiam propugnant quæ primo intuitu præmissæ adstipulata affinisque æstimabitur quamvis ab ea toto cœlo differat.

Ii profitentur Spiritum Sanctum et inspiratum auctorem vera utique semper docuisse, sed simul hominibus quibuscum conversari dignati sunt, sensim esse obsecutos. Cum enim populo rudiori ac duræ cervicis ea tradere deberent quæ captum humanum superant, quo facilius isti perciperent atque firmius retinerent, fabularum jamdudum popularibus sermonibus traditarum involucro sacra mysteria induebant.

Ita ergo Moyses, ut ab Hebræorum plebe arceret errorem gentium quæ sæpius honoribus divinis adaugebant homines a quibus originem duxerunt artes vitæ necessariæ, eos contra uti meros homines depingendos curavit; et hoc pacto, a Spiritu Sancto edoctus, genealogias istorum texuit ut omnibus innotesceret hos generis humani institutores, natos ac mortuos esse haud secus atque cæteri Adam filii.

(1) Conc. Trid. Sess. IV, *decret. de Can. Script.;* Conc. Vatic. Const. dogmat., c. III.

Proinde Henoch, cujus nomine prima omnium civitas dedicata fuit; Lamech, qui uxores multiplicavit; Jabel, pater habitantium in tentoriis atque pastorum; Jubal, pater canentium in cithara et organo; Tubalcain, malleator ac faber in cuncta opera æris et ferri; ipse Enos, qui cœpit invocare nomen Domini, ne deinceps uti hominibus natura superiores putarentur, horum nomina genealogiis Moyses inseruit.

Hæc et similia fautores sententiæ illius æstimant biblicis Geneseos laterculis declarari, quasi parabolis; eorum auxilio, rudiores Hebræi facilius intelligebant omnes homines ex una progenie esse exortos, omnes proinde esse fraterno amore prosequendos; aut solum Deum esse æternum, contra breves dies hominis super terram, etc., etc.

Hanc opinionem cæteroquin inexspectato prorsus argumento confirmare nituntur: eo quod patriarcharum nomina sunt e lingua hebraica manifesto deprompta, quæ erat neque ante diluvium, neque statim post diluvium informata, concludunt ipsissimos patriarchas minime exstitisse. — Ultro concedimus lingua hebraica statim post diluvium homines non esse locutos; attamen ex hac concessione imbelle excipiunt argumentum : nam e lingua ista primæva quæcumque fuerit, hebraice nullo negotio fingi potuerunt nomina aut sensu, aut sono satis similia, quo amplius nihil desiderari potest. Eadem ratione, ut celebri utar exemplo, Ægyptus nomen accepit terræ Ham in libris hebraicis, a vocabulo ægyptiaco Hem-t; Babilu, mutatione facta mox audiit Bab-ilu, quod Chal-

dæi lingua sua verterunt Ka-dingira, porta Dei.

Admissa hac sententia, non est certe cur incumbamus quærendo utrum genealogiæ biblicæ cum historia consonent necne; nam sive plures, sive pauciores, eamdem semper tradunt veritatem modo plebis captui perquam accommodato : quonam pacto concinnatæ fuerint, parvi refert, dummodo teneantur mysteria his Ægyptiorum spoliis induta.

Expeditum sane hocce interpretandi genus ! et uti fateor, satis antiquum : jam hac ratione suggillantibus philosophis respondebat apud Ægyptios Judæus Aristobulus, deinceps Philo ille, documenta biblica cum philosophiæ platonicæ placitis componendi cupidus. Neque ipsum Origenem ejusque fautores ab ea Litterarum Sacrarum interpretatione abhorruisse, omnibus notum est. Quorum sequi tramitem Cajetanus minime dubitavit, prima Geneseos capita ista methodo interpretatus; et quamvis hæresis labem non incurrerit, tamen notam temeritatis non valuit effugere.

His adde viam hanc esse periculis plenam : hodie enim Edenica felicitas, aut tentator serpens, aut primorum hominum longævitas hoc modo explanabitur; cras vero ipsum diluvium, arca et turris ad mythos, si minus ad aniles fabulas, ablegabuntur; mox eodem pacto facile quisque interpretabitur Hebræum populum in Ægyptum descendentem, a Pharaone oppressum, ex aquis maris Rubri incolumem præservatum, et e persequentium manibus ereptum. Olim Job uti exemplum in adversis salutabant; Judith uti tutelam in

desperatis : nunc vero quæ scripta sunt contra horum historiam, referre tædet.

Ubinam eis standum sit, relicto Traditionis præsidio ac moderamine, vix dici potest, vix conjicere licet. Igitur viam hanc uti periculis plenam et a securo Traditionis tramite recedentem, vitandam ducimus.

Hinc, uti documenta proprie historica biblicas genealogias accipimus ; sed ex dictis, rimas non ita parvi faciendas in eis agnoscamus necesse est. Cum enim chronologia chaldaica imperium his in terris constitutum ac viribus artibusque prosperum ante tempora textibus hodiernis diluvio assignata, nobis præbeat ; cum ante Exodum XIX dynastiæ et amplius ducenti reges jam Ægypto imperitaverint, quod quidem spatium exiguo generationum quindecim numero hodierni codices explere satagunt ; certe ulterius quidquam requiri potest, imo et debet.

Prima ergo excussa, duæ nobis supersunt hypotheses : vel textus a primæva plenitudine paulatim atque latenter demissus est ; vel ipse auctor inspiratus genealogias suas ad hos numeros ex industria contraxit. Igitur in priori casu omissio reputanda est accidentalis ; in altero autem, hæc est ab ipso scriptore intenta atque repetenda.

Defectuum accidentalium nonnulla exempla in Biblia suppetunt, non solum in numeris, in quibus menda plurima omnes hodie post S. Hieronymum fateri non dubitant, sed et in ipsis genealogiarum membris. Si enim sedulo laterculos Paralipomenorum cum Pentateuchi aut librorum cæterorum capi-

tibus contuleris, brevi quid sentiendum sit, deprehendes : nonnunquam, verbi gratia, amanuensis nominum similitudine ductus, ab uno ad alterum scribendum nullis ambagibus pertransiit ; in ipsa Esdræ generatione, plurium interpretum sententia, quam cæteroquin pro lubitu amplecti aut respuere quisque potest, hac ratione librarius peccavit, uti schemata subjecta facile ostendunt :

Liber generationis Esdræ.

Ex I Paral., VI, 1.	Ex 1 Esdræ, VII, 1.
Aaron	*Aaron*
Meraioth	*Meraioth*
. . .	*Azarias*
Amarias	*Amarias*
Achitob	*Achitob*
Sadoc	. . .
Achimas	. . .
Azarias	. . .
Amarias	. . .
Johanan	. . .
Azarias	. . .
Amarias	. . .
Achitob	. . .
Sadoc, etc.	*Sadoc, etc.*

Lapsu haud dissimili peccavit amanuensis, ex *Genesi*, X, 22, in I *Paralipom*. I, 17, hæc verba transcribens :

Filii Sem : Elam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram ; *filii* Aram : *Us, et Hul, et Gether, et Mes.*

A nomine Aram prius inscripto, ad alterum statim transiit librarius, et sic versiculum exhibuit :

Filii Sem : Elam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram, *et Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch.*

Alia similium lapsuum exempla jam relata sunt initio partis tertiæ (1) in quibus textus Græcorum aut Samaritanorum hebraicas omissiones indubitato patefaciunt.

Similem casum expertam olim fuisse hanc tabellam primorum parentum, negare non possumus, attentis præsertim rerum judaicarum frequentibus perturbationibus. Omnes enim norunt quid acciderit tempore ipsius regis Josiæ. Qui enim cum templi sarta tecta instaurasset, *dixit Helcias pontifex ad Saphan scribam : Librum Legis reperi in domo Domini : deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud.... Narravit quoque Saphan scriba regi dicens : Librum dedit mihi Helcias sacerdos : quem cum legisset Saphan, et audisset rex verba libri Legis Domini, scidit vestimenta sua, et præcepit Helciæ sacerdoti et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens : Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda de verbis voluminis istius* (2).

Locum hunc percelebrem, injustis rationalistarum calumniis obnoxium, jamdudum veteres explanaverunt. Hic agi de libro Mosaico, ex ipso textu apertum est, necnon et ex usu perpetuo verborum ספר התורה, *Liber Legis*; hinc expressis

(1) Cf. supra, p. 223.

(2) IV Reg., XXII, 8-13; II Paral., XXXIV, 14-33.

terminis Josephus : Ἐλιακίας ἐντυγχάνει ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ταῖς Μωϋσέως ἐν τῷ ναῷ κειμέναις (1). Hinc quoque S. Johannes Chrysostomus, loquens de libris Scripturæ deperditis, talia habet : Ναζωραῖος κληθήσεται. Καὶ ποῖος προφήτης τοῦτο εἶπε ; Μὴ περιεργάζου, μηδὲ πολυπραγμόνει. Πολλὰ γὰρ τῶν προφητικῶν ἠφάνισται βιβλίων · καὶ ταῦτα ἐκ τῆς ἱστορίας τῶν παραλειπομένων ἴδοι τις ἄν. Ῥάθυμοι γὰρ ὄντες, καὶ εἰς ἀσέβειαν συνεχῶς ἐμπίπτοντες, τὰ μὲν ἠφίεσαν ἀπόλλυσθαι, τὰ δὲ αὐτοὶ κατέκαιον καὶ κατέκοπτον. Καὶ τὸ μὲν Ἱερεμίας διηγεῖται, τὸ δὲ ὁ τὴν τετάρτην συντιθεὶς τῶν Βασιλειῶν, λέγων μετά πολὺν χρόνον μόλις τὸ Δευτερονόμιον εὑρῆσθαι κατορωρυγμένον που καὶ ἠφανισμένον. Εἰ δὲ οὐκ ὄντος βαρβάρου οὕτω τὰ βιβλία προύδωκαν, πολλῷ μᾶλλον τῶν βαρβάρων ἐπελθόντων (2). Eamdem sententiam alio in loco profert : Καὶ γὰρ πολλὰ διεφθάρη βιβλία, καὶ ὀλίγα διεσώθη, καὶ ἐπὶ τῆς προτέρας αἰχμαλωσίας. Καὶ τοῦτο δῆλον ἐν ταῖς παραλιπομέναις... Καὶ τί λέγω περὶ τῆς αἰχμαλωσίας ; καὶ γὰρ πρὸ τῆς αἰχμαλωσίας πολλὰ ἠφάνιστο βιβλία, τῶν Ἰουδαίων εἰς ἐσχάτην ἀσέβειαν ἐξοκειλάντων. Καὶ δῆλον ἐκ τοῦ τέλους τῆς τετάρτης τῶν Βασιλειῶν, τὸ γὰρ Δευτερονόμιον μόλις που εὕρηται ἐν κοπρίᾳ καταχεχωσμένον (3).

Communis dehinc hæc opinio, uti discere potes a Procopio Gazæ (4), Petro Comestore (5), atque Nicolao Lyrano, non solum christianas, sed et rabbinicas auctoritates sequente : « Secundum
» Ra. Sa. cum Achaz quæreret libros Legis Do-
» mini ad comburendum, iste fuit absconditus in
» muro templi ; et sic cum repararentur muri, fuit

(1) Jos., *Ant. Jud.*, l, X, c. IV, n. 2.

(2) S. Joh. Chrys., *in Math. Homil.*, IX, 4.

(3) Ejusd., *in Epist. I ad Cor. Homil.*, VII, 3.

(4) Procop., *Comm. in IV Reg.*, c. XXI.

(5) P. Comest., *Hist. Schol.*, l. IV, *Reg.*, c. 36.

» inventus (1). » — « Et patet, subdit Tostatus,
» quod ipse nesciret quod continebatur in lege
» Dei ; nam nunc quando audivit verba legis,
» scidit vestimenta sua : si tamen ipse jam sciret
» quid contineretur in libro illo, non miraretur...
» et sic non est dubitandum quod Josias nunquam
» viderit librum legis (2). » Neque aliter inclytus ille R. Kimhi, quo auctore, adeo erat status religionis illa tempestate corruptus superiorum principum perfidia, ut liber legis inter sacras reliquias repertus haberetur pro re nova et inaudita (3).

Quidam tamen, uti Genebrardus (4), maluerunt hunc librum nunquam reipsa venisse in oblivionem, sed tantummodo exemplar authenticum ab ipso Moyse descriptum tunc temporis repertum fuisse ; quam sententiam recentiores nonnulli anteponunt, uti rationalistarum falsis criminibus ansam minus præbentem. Unusquisque in sensu suo abundet, atque etiam Genebrardo aut aliis innixus contemnat Kimhi et Salomonem, imo Comestorem et Procopium, aut ipsum Johannem Chrysostomum. Sed qua ætate sacerdotes judaici adeo socordes jacebant ut eorum incuria periret vel Deuteronomium, vel ipsum exemplar a Moyse exaratum, olim inter pretiosissima templi asservatum ; numquid tunc mirandum si scribarum vitio et communi omnium negligentia, nonnulla patriarcharum nomina, in genealogiis Geneseos absque ullis commentariis

(1) Lyr. Postill., *ad loc.*

(2) Tost. Comment., *ad loc.*

(3) Kimhi, *in cap. VIII Oseæ.*

(4) Genebr., *Chronogr.*, p. 144.

relata, penitus interciderint? Etenim his Geneseos prioribus capitibus, rarissime, ne quid amplius dicam, in cæteris Libris sacris alluditur, uti cuique Bibliam callenti compertum est; horti quem Deus plantaverat, ipsorum nominum Adami et Hevæ primorum parentum, diluvii, arcæ et Noe ipsius, etc., etc., vix semel aut iterum aperta mentio injicitur libris ante captivitatem conscriptis. Quæ cum ita sint, numquid non facile perire potuerunt quædam ignotorum nomina?

Equidem fateor contra præmissam explanationem afferri posse laterculum patriarcharum eodem plane numero et ordine Paralipomenis repetitum. Sane id nos magnopere commoveret, si novissemus nondum adulteratum esse laterculum Geneseos quo tempore conscripti sunt libri Paralipomenon. Id autem nos latet : istorum enim origo altius repeti non potest quam a tempore Esdræ et Nehemiæ. Hinc facile potuit antea adulterari aut abbreviari patriarcharum laterculus. Quem ita casu abbreviatum auctor inspiratus valuit transcribere eo fere modo quo, secundum Petavium aliosque multos, imo ipsum B. Hieronymum, S. Lucas et Stephanus Martyr, Græcorum varias lectiones minus rectas transcripserunt.

Cæteroquin hæc opinio doctrinæ Patrum minime adversatur ; jam enim retulimus sententiam S. Johannis Chrysostomi, quo auctore non solum librorum sacrorum fragmenta, sed etiam πολλὰ διεφθάρη βιβλία : quam sententiam Patres multi propugnaverunt, imo hoc principio Judæos redarguere atque LXX interpretationem tueri soliti

sunt : iis enim objicientibus prophetias allatas desiderari in hebraico textu, respondebant eas e textu sacro decidisse aut temporum injuria, aut ipsorum Judæorum fraude, sed re vera lectas fuisse quo tempore septuaginta interpretes græcum ex hebraico verterunt. Nota sunt loca, ita ut vix memoranda sint ; pauca tamen, exempli loco, subjiciemus.

Ita Justinus Martyr asserit fraude Judæorum excidisse a Psalmo XCV voces ἀπὸ τοῦ ξύλου, *a ligno*. Neque id ipse Trypho, Justini adversarius, præfracte negare videtur : Εἰ μὲν παρέγραψαν τι ἀπὸ τῶν Γραφῶν οἱ ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, Θεὸς δύναται ἐπίστασθαι. Subdit tamen Justinus : Φοβερώτερον ἐστι τῆς μοσχοποιΐας... καὶ τοῦ τά τέκνα θύειν τοῖς δαιμονίοις, ἢ τοῦ αὐτοὺς τοὺς προφήτας ἀνῃρηκέναι (1). Et inferius, loquens de diversis Jeremiæ, Esdræ, et David oraculis, asserit : Ἃ εἰ ἐνενοήκεισαν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν, εὖ ἴστε ὅτι ἀφανῆ ἐπεποιήκεισαν, ὡς καὶ τὰ περὶ τὸν θάνατον Ἡσαΐου, ὃν πρίονι ξυλίνῳ ἐπρίσατε (2).

Imo S. Irenæus eo usque procedit, ut affirmare non timeat : « (Judæi) si cognovissent nos futuros, » et usuros his testimoniis quæ sunt ex Scripturis, » nunquam dubitassent ipsi suas comburere Scrip» turas (3). » Quod vero non præstitit malitia Judæorum, præstare potuit temporum quorumdam iniquitas, nam « in ea captivitate populi quæ » facta est a Nabuchodonosor, et post septuaginta » annos Judæis descendentibus in regionem suam ; » post deinde temporibus Artaxerxis Persarum

(1) S. Just. Mart., *Dial. cum Tryph.*, n. 73.

(2) *Ibid.*, n. 120.

(3) S. Iren., *contra Hæres.*, l. III, c. XXI.

» regis inspiravit (Deus) Esdræ sacerdoti tribus » Levi præteritorum prophetarum omnes rememo- » rare sermones (1). » Origenes vero, licet rarius Judæos insimulet, ita legitur in versione S. Hieronymi : « Quoniam difficile est aliquem se malum » confiteri, ideo Judæi... etiam hoc in loco pro » peccato Juda, peccatum eorum posuerunt (2). »

Hinc Patres minime adversarios nancisceretur qui in genealogiis, præsertim primis Geneseos capitibus, omissa fuisse plura nomina teneret, vel ea e loco decidisse autumaret ; insuper hac ratione e multis difficultatibus ad chronologicas disciplinas pertinentibus nullo negotio sese expediret præmissæ hypothesis ope, cui cæteroquin ipsi biblici textus facile ansam præbent, uti ex exemplis tum superius allatis, tum mox afferendis, aperte colligetur.

(1) S. Iren., *ibid.*, paulo inf.
(2) Orig., *Hom. in Jerem. XVI*, juxta Hieron. XII, sub fine.

CAPUT XXI

Data etiam textus sacri integritate, ex indole linguæ hebraicæ et sacrorum auctorum moribus chronologica quæstio facile solvitur.

Licet ratio difficultatis solvendæ præcedenti capitulo proposita aperta sit certe, et objectionibus diluendis impar nobis non videatur, ulterius tamen procedere possumus, asserentes inconcussa quidem Fide ac Scripturarum inspiratione, omissiones illas non a vitio amanuensium, sed ab ipsorum sacrorum auctorum arbitrio posse repeti.

Jamdudum plures auctores haud infimæ notæ uti Jahn, Hettinger, et alii, agnoverunt Orientalibus, Arabibus, Hebræis necnon et cognatis gentibus, morem fuisse decurtatas sæpius genealogias contexendi. Verum quo res accuratius instituatur, duæ genealogiarum species opportune distinguentur : sunt enim aliæ, si ita loqui fas est, nudæ, id est concinnatæ e solis nominibus propriis termino paternitatem aut filiationem declarante in unum conjunctis. Permulta hujus generis exempla in libris sacris et profanis invenies, puta genealogiam Esdræ in Paralipomenis, Teglat-Phalasar I^{i} in Ninivitarum annalibus, etc.

Alterius generis genealogiæ minime ex simplicibus nominibus compinguntur, sed singulis terminis appositas exhibent notationes, qua ætate scilicet pater genuerit aut fuerit vita functus, quam duxerit uxorem, et similia, quæ videntur pressiorem intellectum ac significationem magis litteralem legentibus ingerere. Istiusmodi genealogias quas haud immerito vestitas dixeris, invenies in laterculis Patriarcharum, in Moysis historia, etc.

Priorum, id est nudarum, nullo negotio causa absolvitur : has enim nonnullis intermediis gradibus commode carere, illi omnes fateantur necesse est quicumque Orientalium rem litterariam vel primoribus labris attigerunt. Quot progenitorum gradus silentio premit Ægyptiorum tabula Abydena aut Karnaciana series! Quotve Saqqaræ laterculus! Ratione haud absimili Æthiopes tractum sæculorum decem regibus viginti exhauriri æstimant (1).

Ad Hebræos quod attinet, voces בן, *filius*, et ילד, *genuit*, quæ utrumque membrum conjungere solent, minime officiunt quin generationes nonnullæ improviso omittantur : etenim in linguis orientalibus quas semiticas vocant, utriusque vis et intellectus latissime patet, ita ut non solum de generatione immediata, sed etiam de qualicumque origine usurpari valeant.

Namque ex usu fere continuo, designant tum relationem patrem inter et filium, cum ordinem inter avum et nepotem, proavum et pronepotes; imo nil prohibet quin his vocibus jungantur com-

(1) J. Bruce, *Voyage aux sources du Nil*, t. III, c. VI; J. Ludolf., *Hist. Æthiop.*, l. II, c. IV.

muni parenti tum filii, tum nepotes quasi hi omnes fratres existant : istius moris permulta in Biblia vestigia deprehendes.

In Paralipomenis legitur : *Filii Juda : Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal* (1); at quatuor ultimi nonnisi Judæ nepotes erant, uti ex Genesi didicimus. Pariter Laban, frater Rebeccæ, dicitur filius Nachor, qui reipsa non erat nisi filius Bathuel, et Nachor nepos (2).

Attamen ubi usurpatur vox ילד, *genuit,* auctores nonnulli formam simplicem *(Kal)* a forma causativa *(Hiphil)* existimant discernendam : agnoscentes priorem adhibitam esse in generationibus mediatis, altera asserunt generationem immediatam declarari. Hæc autem quam ventilant exceptionem, neque ab ipsis patronis demonstratur, neque linguæ sacræ principiis innititur, neque ex ipso textu vera comprobatur (3). Igitur, ab ea admittenda consulto abstinebimus, concedentes utramque formam etiam de abbreviatis genealogiis usurpari posse.

Nunc vero quanam de causa hoc pacto laterculos conscriberent, non ita ægre evincitur : scilicet aut genealogiæ abbreviatæ facilius memoria tenebantur, qua ratione etiam psalmi plures litterarum ordine seu in modum ἀκροστιχίδος conscripti sunt; aut Hebræi libenter serviebant mori antiquorum, studio et reverentia certos prosequentium numeros quos mysterio non carere autumabant. Numeris III,

(1) 1 Par., IV, 1; Gen., XXXVIII, 3; XLVI, 2.

(2) Gen., XXIX, 5; ibid., 24.

(3) Cf. v. g. Gen., IV, passim; X, 8.

VII, XL, LXXII vix quidquam apud Hebræos auctores aut frequentius, aut sanctius; istorum rationes mysticas inquirere Patres non dedignati sunt, uti notum est. Vetustissima certe horum numerorum affectatio : in capite Geneseos decimo, cui nomen *tabula ethnographica*, ut numerarentur populi LXXII, ex industria omisit Moyses gentes nonnullas quæ tamen eum fugere non potuerunt, uti Nigri Æthiopiæ incolæ quibuscum in Ægypto tam frequenter erat conversatus, et quorum imagines sæpius monumentis depictæ sunt; uti Emim, Zumzumim, Rephaim, etc., qui primi Palæstinam occuparunt.

In generationibus conscribendis eadem quæsita fuisse, ex multis certe compertum est exemplis, quorum plura ad thesim nostram propugnandam haud inutiliter subjicientur.

a) Genealogia Caleb, non quidem filii Jephone Moysisque exploratoris, sed alterius Josue coætanei, tribus progenitoribus, scilicet Phares, Juda et Hesron, breviter absolvitur; quæ quidem utrum completa sit an manca primo intuitu non ita perspectum fit, præsertim cum diversis in locis iisdem terminis nec pluribus nec paucioribus repetita fuerit (1). Attamen e laterculo ipsius Josue (2) quid de illa sentire debeas, brevi intelliges :

Genealogia Josue.	Genealogia Caleb.
1 *Joseph*	1 *Juda*
2 *Ephraim*	2 *Phares*
3 *Beria*	3 *Hesron*

(1) I Paral., II, 18; Gen., XLVI, 9, etc.
(2) I Paral., VII, 27.

4 *Thale*	. . .
5 *Thaan*	. . .
6 *Laadan*	. . .
7 *Amiud*	. . .
8 *Elisama*	. . .
9 *Nun*	. . .
10 *Josue*	4 *Caleb.*

b) Sequiori tempore, ætate scilicet David regis, intexitur genealogia Subael, præpositi thesauris templi; quæ sequentibus describitur : *Subael autem filius Gersom filii Moysis* (1). Hoc vero nomen Moysis, præterquam quod, e peculiari significatione, non erat apud Hebræos ita commune, evidenter Israelitarum servatorem designat, is enim erat pater Gersom. Atqui Gersom Moysis filius ante Exodum natus erat, et exinde, nisi ut alter Mathusalem sit habendus, levitam Subael sub David rege thesauris sacris præpositum, nequaquam gignere potuit.

c) Plurimos laterculos eodem pacto detruncatos producere possemus : sed ne lectori tædium ingeramus, his finem imponemus allato exemplo omnium celeberrimo. Quo studio septenarium duplex sit prosecutus S. Matthæus in describenda Domini generatione, norunt omnes, quamvis ratio non ita in promptu existat. Confer ergo, si placet, ambas Christi genealogias :

Liber generationis Jesu Christi.

Secundum Matthæum, I, 1.	Secundum Lucam, III, 23.
	XX Patriarchæ.
1 *Abraham*	1 *Abraham*

(1) I Paral., XXVI, 24.

2 *Isaac*	2 *Isaac*
3 *Jacob*	3 *Jacob*
4 *Juda*	4 *Juda*
5 *Phares*	5 *Phares*
6 *Hesron*	6 *Hesron*
7 *Aram*	7 *Aram*
8 *Aminadab*	8 *Aminadab*
9 *Nahasson*	9 *Nahasson*
10 *Salmon*	10 *Salmon*
11 *Booz*	11 *Booz*
12 *Obed*	12 *Obed*
13 *Jesse*	13 *Jesse*
14 *David*	14 *David*

« Omnes itaque generationes ab Abraham usque » ad David, generationes quatuordecim (1). »

.. *David*	
1 *Salomon*	1 *Nathan*
2 *Roboam*	2 *Mathatha*
3 *Abia*	3 *Mennas*
4 *Asa*	4 *Meleas*
5 *Josaphat*	5 *Eliakim*
6 *Joram*	6 *Jonas*
.. *Ochosias* } omissi	7 *Joseph*
.. *Joas* } omissi	8 *Juda*
.. *Amasias* } omissi	9 *Simeon*
7 *Ozias*	10 *Levi*
8 *Joatham*	11 *Mathat*
9 *Achaz*	12 *Jorim*
10 *Ezechias*	13 *Eliezer*
11 *Manasses*	14 *Jesu*
12 *Amon*	15 *Her*
13 *Josias*	16 *Elmadam*
.. *Joachim* omissus	17 *Cosan*
14 *Jechonias*	18 *Addi*
	19 *Melchi*
	20 *Neri*

« Generationes... a David usque ad trans-

(1) S. Matth., I, 17.

» migrationem Babylonis, generationes quatuorde-
» cim (1). »

.. *Jechonias*	
1 *Salathiel*	1 *Salathiel*
2 *Zorobabel*	2 *Zorobabel*
3 *Abiud*	3 *Resa*
4 *Eliacim*	4 *Johanna*
5 *Azor*	5 *Juda*
6 *Sadoc*	6 *Joseph*
7 *Achim*	7 *Semei*
8 *Eliud*	8 *Mathathias*
9 *Eleazar*	9 *Mahath*
10 *Mathan*	10 *Naggi*
11 *Jacob*	11 *Hesli*
12 *Joseph* virum Mariæ de qua natus est Jesus. I, 16.	12 *Nahum*
	13 *Amos*
	14 *Mathathias*
	15 *Joseph*
	16 *Janne*
	17 *Melchi*
	18 *Levi*
	19 *Mathath*
	20 *Heli*
	21 *Joseph;* et ipse Jesus, ut putabatur, filius Joseph. III, 23.

« Generationes... a transmigratione Babylonis » usque ad Christum, generationes quatuordecim (2). »

Hæc autem omnia minime sunt nimis presse et litteraliter accipienda : in prima enim pericope, S. Matthæus et S. Lucas optime consentiunt ; at in secunda, prior generationes XIV, alter generationes XX computat : licet lineæ non sint eædem,

(1) S. Matth., I, 17.

(2) *Ibid.*

tamen probabiliter colligitur plures annulos esse a S. Matthæo omissos : quod quam verum sit facilius deprehenditur explorata S. Matthæi serie, cui Ochosias, Joas, Amasias et Joachim certo desunt; qua de causa hi quatuor expuncti fuerint, equidem fateor plures enucleare esse conatos : erant enim hi reges, inquiunt, de stirpe maledicta oriundi. An responsio sit valde accurata, præsertim cum de Amasia hæc habeat auctor inspiratus : *et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus*, IV Reg. XIV, 4, alii judicent. At pariter excogitent novam rationem sese expediendi a pericope tertia, in qua X ultimis annulis S. Matthæi, XIX in S. Luca congruunt.

d) Imo usus arbitrariæ aut potius mysticæ supputationis non solum biblica tempora pervasit, sed et ad ultima usque sæcula notus fuit et acceptus Judæis. De sacrificio vaccæ rufæ, Hebræis certe consueto, hæc habet sæculo duodecimo Rabbi *Maimonides :* « Novem vaccæ rufæ sacrificatæ » fuerunt a tempore legis usque ad secundam » desolationem. Dominus noster Moses primam » obtulit, Ezra secundam, septem oblatæ sunt a » diebus Ezræ usque ad templi eversionem; et » decimam rex Messias ipse offeret : cujus pro- » xima manifestatio utinam maximam lætitiam » nobis afferat (1). »

Qua ratione ad decenarium numerum contracta fuerint sacrificia apud Judæos frequentia, nisi arbitrariis aut mysticis de rationibus, dicat qui noverit.

Simili ratione ipsi Judæi autumabant decur-

(1) R. Maimon., *de Vacca rufa*, c. 3.

tatas esse Bibliæ genealogias, earumque rimas interdum explere satagebant : ita, in Targum Estheræ, generationes XLII inter Mordekai et Abraham describuntur, XXI vero tantum inter eorum coætaneos Haman et Esau.

Neque numerorum mysticorum frequentiam celare intendunt : namque in synopsi *Zohar* asserunt generationibus XV ab Abraham patriarcha usque ad Salomonem regem significari plenilunium, tunc enim Judæi creverunt numero, opibus necnon et potestate ; XV vero aliis generationibus a rege Salomone usque ad Sedeciam principem (iis proinde etiam omissis quos S. Matthæus silentio premendos duxit), procul dubio significari lunæ senium, tunc enim res Judæorum publica gloria et potestate sensim senuit atque decrevit.

Hinc ergo minime mirandum si Moyses tempora cum ante, tum post diluvium elapsa, ad numerum decenarium duxerit esse contrahenda, aut mysticis de rationibus, aut majoris brevitatis et facilioris memoriæ causa.

Tales generationum breviationes Patres ipsi adverterunt, atque rationibus plus minusve congruis explanare sategerunt. Pro systematibus tunc temporis florentibus, istæ eis videntur magnum involvere sacramentum : audi plurium loco disertissimum hac de re S. Augustinum ; instituta enim quæstione cur Matthæus quadraginta, Lucas vero septuaginta septem generationes dominicas posuerit : « Hic (XL) numerus vitam significat,
» qua in hac terra laboratur, quamdiu peregri-
» namur a Domino. Denarius enim numerus quo

» significatur perfectio beatitudinis, quater multi-
» plicatus propter tempus quadripartitum, et mun-
» dum quadripartitum, quadragenarium numerum
» facit.... Ad hanc ergo vitam quoniam descendit
» Dominus noster,... quadragenarium numerum
» Matthæus secutus est.... Lucas autem qui ex
» baptismo Domini per generationes ascendit,
» septuagenarium et septimum numerum complet,
» quia in hoc numero abolitio significatur omnium
» peccatorum.... Illud ante omnia retinete, ut
» Scripturis Sanctis nondum intellectis non per-
» turbemini; intelligentes autem non inflemini:
» sed et quod non intelligitis, cum honore diffe-
» ratis; et quod intelligitis, cum charitate tenea-
» tis (1). »

Nunc vero plura notatione haud indigna addere licet circa genealogias uti diximus vestitas: quarum consideratio multum proficiet si ad mores ac consuetudines orientalis sermonis prius attenderimus.

Semitæ rarissime ad intima, et si ita loqui fas est, ad viscera rei sese coarctant; e contrario omnes factorum aut dictorum circumstantias modo plus minusve presse, plus minusve litteraliter accipiendo, libenter enarrant: imo graviorum pondus et auctoritatem minutioribus adjunctis tribuere solent. Omnia viderunt, omnia mente tenuerunt, et imprimis omnia fabulentur necesse est. Omissis Arabicis ac Syriacis scriptoribus, lectorum venia, exempla quædam minus nota ex inscriptionibus assyriis aut babyloniis seligemus.

(1) S. Aug., *Serm.* LI, 32-35.

Enarratis enim regum præliis, minutissima quæque adjungere non omittunt Assyrii, puta quot pugnantes ceciderint, quot in servitutem redacti, et his similia; qui vero hæc litteraliter accipere voluerit, is erit certe multis erroribus obnoxius. Capta, verbi gratia, urbe Mahinas, *Tukulti-apal-esarra* I^{us} viros CXX in servitutem redigit; in prælio *Assur-natsir-apal* bellantes CCCXXII occidit, Sargon captivos e Phœnicia educit IXMXXXIII, e Samaria vero XXVIIMCCLXXX ! Credat Judæus Apella ! Neque ipsi auctores talia uti fide digna habebant, sed ea usurpabant uti meras ac consuetas dicendi formulas ; sæpe enim numeros extra modum conflatos subjicere non dubitabant, uti LM hominum quos Teglat-Phalasar e regione parum populis numerosa *Bit-Sahalli* (1) educit ; aut LXXXMDLXX captivos ex urbe *Dur-Yakin* (2) a Sargone commemoratos ; aut etiam Judæos CCMCL quos ante obsessam Jerusalem (3) in servitutem redigit Sennacherib.

Hinc, in inscriptionibus Bagistanicis, Darius persice commemorat Armenos debellatos : at in babylonica versione, et quidem authentica, siquidem solebat omnia sua decreta persice, babylonice, et elamitice conscribere, statim addere non intermisit :

idduku	*ina*	*libbisunu*	VCXXXXVI	*u*	*buldhutu*	*utstsabitunu*
ceciderunt	in	medio eorum	VCXXXXVI	et	vivi	capti sunt

VCXXX

VCXXX.

(1) *W. A. I.*, t. II, pl. 67, l. 20.
(2) Ménant, *Annales*, p. 174.
(3) *W. A. I.*, t. I, pl. 39, l. 17.

In sequenti prælio, silente pariter persico textu, hæc habet babylonica versio :

idduku	*ina*	*libbisunu*	IIMXXXXV	*u*	*buldhutu*	*utstsabitunu*
percussi sunt	in	medio eorum	IIMXXXXV	et	vivi	capti sunt

MVCLIX
MVCLIX (1).

Ratione non absimili quandoque regum sibi subjectorum Assyrii conscribunt laterculos ; et quamvis communiter omnimoda fide sint digni eorum scribæ, interdum nonnulla horum dicta videntur minus presse et litteraliter accipienda. Sic Jehu, domus Amri insecutor, apud Salmanasar regem audit « *apal Humri*, filius Amri (2) ; » sic XXII iidem reges, nullo deficiente, leguntur tum Assur-ahi-iddin cum Assur-ban-apla tributarii ; licet enim ambæ enumerationes vix annorum decennio separentur, quis autumet reipsa, haud uno excepto, eodem ordine cum patri tum filio paruisse, atque tributa misisse

Baal sar Tsur Baal regem Tyri	*Ahi-milki sar Asdudi)* Ahi-melek regem Azoti
Minasii sar Iahudi Manassen regem urbis Juda	*Ikistu sar Idali)* Ægistum regem Idalii
Hadumuhu) sar Udumu (3) Hadumuhu regem Edom	*Pitaguru sar Kitti)* Pitagoran regem Citii
Musuri) sar Maab Musuri regem Moab	*Ki... sar Silummi)* Ki... regem Salaminis

(1) *W. A. I.*, t. III, pl. 39, l. 51 et 56.

(2) *W. A. I.*, t. III, pl. 5, n. 6, l. 64.

(3) Nomina propria uncis inclusa legi jam non possunt in inscriptione Assur-ban-apla ; at linearum singularum pars extrema omnino eadem remanet, eodemque ordine procedit in inscriptione utraque.

Tsilli-Bel) sar Haziti
Tsilli-Bel regem Gazæ

Mitinti) sar Iskaluna
Mathan regem Ascalonis

Ituzu) sar Amgaruna
Ituzu regem Accaronis

Milkiasapa) sar Gubalu
Moloch-Joseph regem Gebal

Matan-Bel) sar Aruadi
Matan-Bel regem Arvad

Abi-Baal sar Samsimuruna)
Abi-Baal regem Samsimuruna

Pudu-il sar Bit Amman)
Pudu-El regem Ammon

Ituander sar Pappa
Ituander regem Paphi

Irisu sar Sillu
Irisu regem Solis

Damasu sar Kurri
Damasu regem Curii

Rumisu sar Tamisi
Rumisu regem Tamasis

Damusi sar Amtihadasti
Damusi regem Amathuntis

Unagusu sar Lidini
Unagusu regem Lidini

Bu... sar Upridisa (1)
Bu... regem Aphrodisiæ.

Ambarum enumerationum similitudo eo facilius artem prodere videtur quod deinceps in cæteris Assur-ban-apla inscriptionibus, vix de uno aut altero istorum regum mentio injicitur. Imo isti omnes silentio premuntur in tribus aliis exemplaribus ipsius inscriptionis superius relatæ, litteris A, B et C communiter insignitis.

Idem prorsus occurrit in ægyptiacis inscriptionibus dynastiarum XIX^{æ} et XX^{æ}; omnes et singuli reges gloriantur armis obtinuisse, uti Seti I^{us} et Ramessu II^{us},

To-mehit seu regionem septentrionalem,
Ha-nebu seu insulas gentium,
Pat
Ham
Petti-su seu Asiaticos,
Tahennu seu Lybiam,
Anu-Kens seu Æthiopes,
Mentau-n-menti seu Pastores, etc.

(1) *W. A. I.*, t. III, pl. 16, c. V, l. 13-26; et *ibid.*, pl. 27, l. 116-135.

Plures istarum dynastiarum principes nusquam *to-mehit*, neque *Ha-nebu*, neque *Mentau*, etc., imperitaverunt ; nec tamen a consueta dicendi formula duxerunt esse abstinendum. Istæ et similes, haudquaquam litteraliter accipiendæ, non solum apud Ægyptios, Babylonios aut Assyrios frequenter usurpabantur, sed et apud omnes orientales populos locum metaphoræ obtinebant, atque hodiedum etiam obtinent : quas si pressius interpretari conaremur, certe ab ipsius auctoris scopo haud immerito crederemur aberrasse.

Minime ergo ipsa Biblia talibus loquendi modis immunis prædicanda est; neque mirandum certe si quod pressius intelligendum primo intuitu habebas, contra latius interpretari debeas. Lege et relege historiam Jacob in Ægyptum descendentis, quidnam distinctius videtur expressum : *cunctæ animæ quæ ingressæ sunt Ægyptum absque uxoribus filiorum ejus sexaginta sex : filii autem Joseph qui nati sunt in terra Ægypti duo ; omnes igitur animæ domus Jacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuere septuaginta*, scilicet additis sexaginta sex superius memoratis Jacob, Joseph, Ephraim et Manasse ! Si quis apud nos talia cum tantis scrupulis describeret, nonne eum accuratos intendisse numeros autumares ? Sane quidem ; noli tamen idem de semitico Bibliæ scriptore judicare, uterque enim numerus sensu litterali et presse sumptus, falsus est ; neque revera talis erat domus Jacob, neque totidem in Ægyptum cum eo descenderunt ; recensitorum enim, quorum nomina in Genesi statim sequuntur, hi mortui sunt, illi vero

nondum nati : Her et Onan qui inter filios Judæ connumerantur, jamdudum vita functi sunt in terra Chanaan, nedum in Ægyptum cum patre et avo descendant.

Pariter leges descendisse filios Phares duos, scilicet Hesron et Hamul, qui nonnisi in Ægypto nati sunt ; nam ipse Phares a Juda genitus est jam vendito Joseph Ægyptiis, ita ut Judæorum doctores ut sensum litteralem tuerentur, coacti sint affirmare « Judam anno XXXV° genuisse Pharen ; » Phares vero vixit annos *novem* et genuit Ez- » ron (1) ! »

Insuper ea ætate filii decem Benjàmin adjudicantur qui tamen tunc exhibetur uti puer, et quidem parvulus נער et קטן, ita ut Demetrius a Petavio laudatus ei annos viginti, aut ad summum viginti tres tribuere ausus fuerit : quanam ergo ratione decem filios puer ille parvus secum in Ægyptum ducere potuerit ? Hi ergo filii non quidem in terra Chanaan, sed posterius in Ægypto ei sunt nati. Idem dic de duobus ultimis filiis Ruben ; nam is descendit cum quatuor, et tamen e *Genesi*, c. XLII, 37, nonnisi duos habet !

Jam superius de genealogia Domini verba fecimus : quibus nunc pauca addere juvat. S. Matthæus asserit inter David regem et transmigrationem Babylonis dari generationes quatuordecim, quod non præstare valet nisi omissis sponte et scienter quatuor membris; proinde non quidem quatuordecim, sed septemdecim exstiterunt, si pressius supputare volueris, inter David regem et captivita-

(1) *Seder Olam zuta*, decad. IIIa.

tem. Quin amplius in pericope tertia in qua asserit inveniri generationes quatuordecim, reipsa nonnisi duodecim aut addita Salvatoris nativitate tredecim ipse profert! Noli ergo plus ab auctore Geneseos quam ab ipso Evangelista exigere, noli utriusque genealogias ultra modum litteraliter interpretari!

Imo perscrutari liceat genealogiam ipsius Moysis, ab ipso Moyse conscriptam : uniuscujusque progenitorum tum filios, tum ætatem retulit, ita ut documenti integritas vix valeat in suspicionem venire : *Hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gersom, et Caath, et Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem. Filii Gersom : Lobni et Semei per cognationes suas; filii Caath, Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel : anni quoque vitæ Caath centum triginta tres;... accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam : quæ peperit ei Aaron et Moysen : fueruntque anni vitæ Amram centum triginta septem* (1).

Nonne completum hic tibi sentire videris laterculum? Confer tamen hanc seriem cum progenitoribus Josue :

1 Levi	1 Joseph
2 Caath	2 Ephraim
3 Amram	3 Beria
. . .	4 Tale
. . .	5 Taan
. . .	6 Laadan
. . .	7 Ammiud

(1) Exod., VI, 16-20.

. . .	8 Elisama
. . .	9 Nun
4 Moyses	10 Josue (1).

Sane instituta hac collatione dubium de laterculi integritate brevi exorietur : at e suspicione facile ad certitudinem insequenti consideratione pervenies. Levi patriarchæ filii tres tantummodo adjudicantur : *hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gersom, et Caath, et Merari.* His quidem nascuntur filii octo :

Filii Gersom, Lobni et Semei ;

Filii Caath, Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel ;

Filii Merari, Moholi et Musi (Ex. VI, 17).

Quæ certe nemini admirationem movent ; sed audi quid legatur, sequenti generatione e vivis nondum erepta :

Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas : ... fuerunt omnes qui numerati sunt VIGINTI TRIA MILLIA *generis masculini ab uno mense et supra* (Num. XXVI, 57-62).

Certo nisi admittamus plures generationes esse hic omissas, vix ea intelligi possunt.

Alia istiusmodi exempla afferre possumus; at ex iis quæ supra attulimus, sufficienter fit evidens atque firma propositæ quæstionis solutio : in genealogiis Domini et ipsius Moysis, in enumeratione filiorum Jacob et computatione generationum ab introitu in Ægyptum usque ad liberationem, in quibus ipse contextus videtur exactissimos numeros

(1) I Paral., VII, 22 et seqq.

requirere et suadere, dantur nihilominus numerorum et generationum breviationes quæ nonnisi receptissimis cæteroquin linguarum orientalium moribus et lata interpretatione queunt explanari. Hac ergo lata et simul orientalium indole fundatissima interpretatione nil obstat quin utamur et ipsi, testimonio Ægyptiorum Chaldæorumque coacti ad obtinendam veram et accuratam explanationem nonnullorum Bibliæ versiculorum, et imprimis laterculi nostri patriarcharum seriem exhibentis : neque magis stricte et litteraliter accipienda est ætas vitæ unicuique generationi adscripta, quam supputatio filiorum Jacob aut progenitorum Domini; aut indicant quo anno patriarcha procreare inceperit descendentium seriem quorum celeberrimus, exclusis cæteris, proxime nominatur, aut mere designant generationis mortisve procrastinationem.

Quod adeo verum est atque perspicuum, ut ipsi Judæorum doctores, licet nonnunquam plus æquo litteræ inserviant, tamen ad nostram conclusionem adducti sint : asserit namque R. Gedelias patriarcharum generationes uti mediatas a pluribus habitas fuisse (1).

Neque ipsis Patribus hæc et similia inaudita fuerunt : agnoverunt esse plurima loca in Sacris Scripturis non ita presse et litteraliter accipienda : de quibus aiebat Augustinus se nescire « utrum » possint cuncta ad litteram convenire (2). »

Equidem fateor, ut veritatem sancti eloquii inco-

(1) Apud R. Simon, *Histoire critique du Vieux Testament*, l. I, c. 23, p. 51.

(2) S. Aug., *Quæst. in Heptat.*, l. I, c. 42.

lumem servarent, eos potius ad mysticas interpretationes quam ad leges sermonis orientalis recurrere solitos; at rem ipsam extra controversiam posuerunt, licet rei rationes non ita congruas interdum attulerint, parumque nobis acceptas. Illud autem ii e nostratibus soli Patribus vitio vertent, qui nesciunt esse sua cuique ætati præjudicia, opiniones, aut studia. Igitur pro more tunc vigente, nacti occasionem numerorum aut genealogiarum, ad scientificas historicasve disquisitiones nequaquam declinaverunt, sed allegoricis mysticisque interpretationibus, sæpe dubitando aut concedendo, non autem dogmatice asserendo elocuti, auditores docere, et ad mores bonos instituere sategerunt.

Noli ergo, eruditissime et benevole lector, eis vitio vertere quæ tunc temporis audientibus jucunda erant, quamvis non ita hodie forsan gaudio lectores demulceant, uti numerorum computationes, multiplicationes, divisiones : hæc enim eo spiritu debent legi, quo conscripta sunt : « *Fortasse,* aiebat » S. Ambrosius de similibus numericis disquisitio- » nibus, *fortasse* iste moralia habet, quia quinque » sunt corporis sensus, etc. (1). »

Neque minus modeste S. Hieronymus : « In » quinque, et duobus, et uno talento, vel diversas » gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt; » vel in primo omnes sensus, in secundo intelligen- » tiam, etc. (2). » Istiusmodi textibus evidens fit Patres moribus tunc vigentibus sese accommodasse, minime vero dogmatice de numericis quæstionibus

(1) S. Ambros., *in Lucam*, l. VIII.

(2) S. Hieron., *in Matth.*, l. IV, c. 25.

tractasse, ita ut omnimodam libertatem interpretibus sacris reliquerint.

Illi enim de multis numeris in Scriptura occurrentibus sese nescire fatentur « utrum possint » cuncta ad litteram convenire ; » asserunt auctores sacros « prophetica libertate hunc numerum (1) » potius quam alium conscripsisse, et his similia permulta. Si tamen e suis principiis minime consectaria deduxerunt circa patriarchales laterculos, ne illis, quæso, hoc des crimini : nam nulla ratione scire potuerunt quid momenti quidve auctoritatis inesset monumentis Ægyptiorum aut Chaldæorum ; ea ætate autumabant sapientissimi quique, uti Augustinus, Ægyptios antiquis carere documentis, quia « litteras magistra dea Iside circa annum IIM^um^ » didicerunt (2), » id est anno ante Christum MD°!

Interpretatio litteralis numerorum facilius ac frequentius apud Patres in suspicionem venit et latiori postponitur ex occasione genealogiæ Christi.

Audi hac de quæstione B. Athanasium necnon et Origenem : « Quibus occurrere quamvis molestum sit secundum litteram, nobis tamen hæc » intelligenda secundum spiritalem vel allegoricam » rationem magis videntur.... Cujus rei explanatio » certum est quod non secundum historiam, sed » secundum spiritalem intelligentiam constet : quæ » non est nobis nunc in transitu pulsanda, in suo » enim loco tangetur (3). » — Καὶ πῶς ἐνταῦθα ἐπὶ

(1) Cf. etiam S. Augustinum *in Heptat.*, n. 152, 169, 173, etc.

(2) S. Aug., *de Civ. Dei,* l. XVIII, c. 40.

(3) S. Athan., *in Matth.*, fragm. 1.

τῶν γενεῶν, δώδεκα προσώπων κειμένων, δεκατέσσαρες γενεαὶ εὑρίσκονται; Οἶμαι, ὅτι καὶ τὴν μετοικεσίαν αὐτὴν ἀντὶ προσώπου ὁ εὐαγγελιστὴς τέθεικε (1).

Hac ergo ratione dominicarum generationum numeros explanat S. Johannes Chrysostomus : Τίνος δὲ ἕνεκεν ἐν μὲν τῇ μέσῃ μερίδι τρεῖς παρέδραμε βασιλεῖς, ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ δώδεκα θεὶς γενεὰς, δεκατέσσαρας αὐτὰς εἶναι ἔφησε; Τὸ μὲν πρότερον ὑμῖν ἀφίημι ζητεῖν · οὐδὲ γὰρ πάντα ἐπιλύειν ὑμῖν ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ ἀναπέσητε · τὸ δὲ δεύτερον ἡμεῖς ἐροῦμεν. Ἐμοὶ γὰρ ἐνταῦθα δοκεῖ καὶ τὸν χρόνον τῆς αἰχμαλωσίας ἐν τάξει γενεᾶς τιθέναι (2).

Imo scopus genealogiarum exactius describitur in fragmento quod inter opera Chrysostomi legitur : illud vero quia ab Aniano, Chrysostomi coævo et interprete, lectum non est, et in longe pluribus manuscriptis fuit prætermissum, denique ab auctoris stylo dissentire sentitur, generatim in finem commentariorum inter dubia reponitur : sed certe neque a tempore neque a doctrina Johannis Chrysostomi videtur alienandum : Τοῦτο δὲ πεποίηκεν, οὐ σκοπὸν θέμενος τὴν τῶν βασιλέων διαδοχὴν ἐκθέσθαι, ἐχρῆν γὰρ ὡς ἡμαρτημένην αἰτιάσασθαι τὴν παρ' αὐτῷ γραφήν · ἐπειδὴ οὐ διαδοχὰς, ἀλλὰ γένος ἀριθμῆσαι προέθετο (3).

Augustinus autem, perspecta Evangelii littera quæ cum factorum narratione libro Regum non ita facile cohæret, statim mysticas rationes affert : « Quid sibi vult, cum dicatur in Evangelio ter esse » quatuordecim, tamen omnes numeratæ inve- » niuntur non quadraginta duæ, sed quadraginta

(1) Orig., *in ep. ad Rom.*, l. I, n. 5.
(2) S. Joh. Chrysost., *in Matth.*, hom. IV, n. 1.
(3) *Ibid.*, ad calc. hom. *in Matth.*, fragm. 1.

» et una? Sine dubio magnum est sacramentum.
» Et gaudemus gratias agentes Domino quia et per
» occasionem calumnantium invenimus aliquid quod
» quanto magis tegebatur quærendum, tanto magis
» delectet inventum.... Intendat sanctitas vestra
» rem mysticam et dulcem : fateor vobis gustatum
» cordis mei; unde credo quia cum protulero, et
» gustaveritis.... Dicet aliquis : quare Jechonias
» bis numeratur?... Quid ergo miraris quod bis
» numeratur Jechonias? Etenim si Christi figuram
» gerebat a Judæis transeuntis ad gentes, attende
» quid est Christus inter Judæos et Gentes. Nonne
» ipse est lapis angularis? Attende in angulo ter-
» minum parietis unius, et initium parietis alterius.
» Usque ad ipsum lapidem metiris parietem unum,
» et ab ipso alterum. Noli ergo dubitare bis nu-
» merare caput anguli (scilicet Jechoniam, uti
» Christi imaginem), et occurrit tibi numerus scrip-
» tus (1). »

Verum, in alio loco clarius et quidem generalius suam aperit sententiam : « (In libris sacris) nescio
» utrum possint cuncta ad litteram convenire,
» *præcipue in numeris*, quos in Scripturis esse
» sacratissimos et mysteriorum plenissimos, ex
» quibusdam quos inde nosse potuimus, dignis-
» sime credimus (2). » Quæ ultima verba tantæ sunt auctoritatis, et tantam secum afferunt lucem ut vix ullum relinquant ambigendi locum; attamen his veterum testimoniis liceat recentium theologo-

(1) S. Aug., *Serm.* LI, 12-15.

(2) S. Aug., *Quæst. in Heptat.*, l. I, c. CLII.

rum, et quidem prudentium, disertissimas sententias apponere.

« In der Genealogie Christi bei Matthaeus wurden
» lasterhafte Glieder ausgeschieden. Sie waren
» unwürdig, als Heilstraeger und Heilsvermittler
» aufgeführt zu werden. Sollte unter Sems Nach-
» kommen kein so entartetes Glied sich gefunden
» haben, dass der Geist Gottes der Aufnahme in
» die heilsvermittelnde Reihe es beraubte? Der
» Geist weht wo er will... *neque currentis*, *neque*
» *volentis, sed miserentis est Dei*. Bei der das
» neue Testament eroeffnenden Genealogie wurde
» und wird das anerkannt; warum sollte man sich
» scheuen, dasselbe im alten Testamente ausge-
» sprochen und niedergelegt zu finden? Und so ver-
» einen sich denn hinreichende Andeutungen von
» mehr als einer Seite, die uns zu dem Satze be-
» richtigen, dass die Genealogie Gen. Kap. XI
» mit Unrecht als Grundlage irgend einer chrono-
» logischen Berechnung herbeigezogen wird (1). »

Vel, si mavis, audi verba doctissimi viri, de scientiis biblicis apud nos bene meriti : « De même
» que saint Matthieu a omis plusieurs personnages
» dans sa généalogie de Notre-Seigneur, afin
» d'avoir trois séries de quatorze noms chacune,

(1) P. Knabenbauer, S. J., *Stimmen aus Maria-Laach*, 1874, p. 372. *Bibel und Chronologie*. Jam talia conscripserat ejusdem S. J. cl. P. Bellynck : « Les généalogies de nos Livres saints dont on déduit des
» séries de dates, présentent parfois des lacunes ; combien manque-
» t-il d'années à cette chaîne interrompue? On ne saurait le dire. Il
» est donc permis à la science de reculer le déluge d'autant de siècles
» qu'elle le trouvera nécessaire. » *Études religieuses*, Avril, 1868, p. 578.

» les générations patriarchales antérieures à
» Abraham ont pu être réduites symétriquement,
» par un procédé mnémotechnique du même genre
» à dix générations antédiluviennes et à dix géné-
» rations postdiluviennes.... (Si les sciences) par-
» venaient à prouver que la date qu'on assignait
» généralement à la création de l'homme n'est pas
» assez reculée, il en résulterait que les systèmes
» des chronologistes sont faux, mais le texte bi-
» blique demeurerait toujours lui-même hors de
» cause (1). »

Huic conclusioni jam subscripserat prudentissimus necnon et Biblicorum studiorum peritissimus DD. Meignan supra laudatus (2); sententiam eamdem nuperrime indigitabat vir scientiarum et theologiæ laude eximius : « Nous croyons pouvoir
» conclure que les chiffres contenus dans les
» généalogies de la Genèse n'imposent aucune
» limite certaine aux chronologistes sérieux.... Il
» faut, ce nous semble, en tout cas, conclure que
» la chronologie déduite des généalogies de la
» Genèse par la méthode vulgaire, ne saurait se
» concilier avec (les résultats de la science), même
» en revenant aux chiffres des Septante (3). »

Hac ratione genealogiæ biblicæ nobis explicandæ videntur, propter allatas in nostra opella rationes. Sane Ecclesia a deliramentis recentium plurimorum abhorrere dicenda est; annorum centena millia, ab istis tam confidenter aut tam arroganter allata, uti

(1) Vigouroux, *Manuel biblique,* t. I, p.

(2) Cf. supra, p. 207 et seq.

(3) P. Brucker, S. J., *la Controverse,* 15 Mars 1886; 15 Mai 1886.

commentitia evagantium mentium figmenta merito contemnit damnatque. At sæcula non ita parce metitur, quemadmodum perperam plures asserere non dubitant : alii quidem bona fide, rerum theologicarum parum periti; alii vero fide mala, tempora biblica consulto intra millenaria quatuor coarctantes, quo astutius simplicium ingenia pervertant, eisque facilius suadeant insanabile fidem inter et scientiam exsistere divortium.

Has simplicium deceptiones, et incredulorum irrisiones, Angelici doctoris consilio et exemplo, avertere sategimus. Si ab intento scopo non omnino deflexerit nostrum opus, laus sit Deo qui auxilium impendit, Ecclesiæ et Sacris Scripturis quarum amore hoc inceptum fuit, necnon et sapientissimis magistris quorum consiliis fuit absolutum.

INDEX

PARS PRIMA

Ægyptiorum monumenta.

SECUNDA PARS

Chaldæorum monumenta.

TERTIA PARS

Biblica monumenta.

— Insulis. Typis J. Lefort. MDCCCLXXXVI —